4

7


CLAVA,
CLAVI, & CLAVIGERO
Debita.

quâ

Clauis Linguarij, Laurentij Lælij, Prædicantis Onoldini confringitur.

à

GEBHARDO RAZENRIEDT, è Societate IESV.



Cum facultate Superiorum.

NONACHII,
Apud CORNELIVM LEYSSERIVM,
Electoralem Typographum,

M. DC. XXX.

VATICINIUM

De

CLAVE LINGUARII,

Libello

LAURENTII LÆLII,

Circa Annum Christianum Nonagesimum,

Ex Parnassio Apollinis Tripode editum.

Equiti Superbo, Nobili, locupleti,
Cecidit repente magna, de sinu, CLAVIS:
Nunquam, Fabulle, NEQUIOR fuit
CLAVIS.

Reperitur inter Epigrammata Martialis
Lib. 5. Epig. 36.

Illustrissimo, S. Rom. Imp. Principi, ac Domino, Dño.

FRIDERICO,

Marchioni Brandeburgico, Prussiæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubij, Silesiæ, Iägerndorffij, &c: Duci, Burgrauio Norimbergensi, & Principi Rügensi, &c.

Domino suo Clementissimo, Vitam & Fælicitatem precatur,

GEBHARDVS RAZENRIEDT, Societatis IESV.



Aurentius Lælius ILLVSTRISSIME MARCHIO, CLEMENTISSIME PRINCEPS; in palatium tuum, prælicentem, si non & temerarium intulit pedem; hastam in eâ, velut in foro, aut Comitio posuit;

ſuit; ſellam Prætori tibi curulem ſtatuit, ſe actorem, me reũ effecit. Caput accuſationis libellum eſſe voluit, à me, contra primam *Scripturæ* ſuæ *Loquentis* controuerſiam, luci datum; in quo ſacrorum voluminum ſacroſanctam auctoritatem conuulſam eſſe, & quid denique non? contra me quiritatur. conclamat mea, ſua integra eſſe omnia, à capite ad vſque calcem proclamat. Hæc ſumma litis ILLVSTRISSIME PRINCEPS. dicamne conteſtatam? dicam enimuero, quia apud te; quem niſi de Heroum ſanguine nôſſem, forum declinarem. Nunc quia mihi certum eſt, generoſa in ortus ſuos exurgere ſemina.

nihil trepido, meâ causâ, & Illustmâ tuâ indole fretus; neque enim nescius sum, Principes animos, à clarissimis Iusti, Æquíue radijs serenare.

Adsum igitur, non temerarius, quia ad te, in ius vocatus; si ingratus, non causa, sed Actor tibi charus, grauis tamen reipsa, & tibi amicus, & Veritati inimicus facit. Actorem quia admittis, non repelles reum; non potes, causæ postulatus cognitor, eum repellere, cui alteram debes aurem: hanc mihi integram, & te reseruâsse, nullus dubito, & *Clauem Lælij*, non reiectam, mihi reserasse confido. Venio ergo iure meo, pro me, imò pro te, ILLVSTRISSIME


PRINCEPS, potiſſimùm dictu-
rus, vt videas tandem, (quod,
velut multorum errorum ferti-
le ſeminarium, acriter hac tem-
peſtate Prædicantes propu-
gnant) nequaquam *totam Christi
doctrinam ſacris inſcriptam circum-
ferri paginis, ſed bonam partem Tra-
ditionibus Eccleſiæ contineri.* quod
vidit ante te, ipſe qui me reum
facit, Lælius, cum ad articulos
Fidei aliquot, cap. 7. *Linguarij*
mei, ad ſacræ ſcripturæ examen
illi ſubmiſſos, nullam ſcriptu-
ram, ſed coactas Veritate ma-
nus, cum alieno reſponſo, in
Claue ſua, dedit. quod ipſum
etiam ILL^{MAM} CELS: Tuam vi-
dere nullus voluit, vt quadram
ſcilicet tuam diutius lingere, &
tam

tam diuite Sportulâ, in Aulâ tuâ, porrò mactari mereretur, suæ cuticulę, quã æternæ tuæ saluti attentior. Est sanè fundamentũ istud, de quo agimus, Lutheranæ rei: vide igitur ILLME MARCHIO, vide obsecro qualenam? vt videas profectò causam habes, *Lælium tuum*, in hoc vehementer trepidantem, in probatione tam clarè deficientem, Scripturam ipsius non *loquentem* amplius, sed tacentem, mutam.

Ea propter ad CLEMENTISSIMAS ILL^MÆ TVÆ CELS: manus, libellum hunc supplicem, ILL^MO TVO nomini demissâ cum reuerentiâ inscriptum, venerabundo affectu, re-

uerenter transmitto, obtestórque, causam vt meam, periculum quin potius tuum, non X-viris Stlitibus iudicandis, committas, sed pensiculatè *probando spiritum num ex DEO sit*, vt *quod bonum est tenere queas* ipse prudenti æstimatione arbitreris. Causaque tũ denique cognita, Da, dic, addic, ex animi tui sententia: litem profectò etiam ad Libonis puteal iniuratus, tuam non facies, si quidem ego Principes noui, & tu auitos, (quod spes in herba pollicetur) regeneras Principes. Cæterum DEVS te sospitet, ILL.ME MARCHIO, &, etiam mihi clementissimè fauentem, diu seruet. Eichstadij Cal. Maij Anno Christiano M DC XXX.

Præ-



Præfatio ad Lectorem.



QVID si non miratorem me, sed æmulum haberet Xenocrates, Lector; qui cum lasciuus vnus aliquis, ac prætextati oris ganeo, nescio quas, de Attellanis, ingereret quæstiunculas, illosque diu stomachante silentio, vir honestus dissimularet, impatiente tandem linguâ, importuno percontatori, ista te, respondit, hominem proiecti pudoris sciscitari quidem, me verò haudquaquam, ad ista, decet respondere. Exigit à me, in re quidem dissimili, non dissimile tamen responsum, Lælius; *Clauem* enim edidit, libellum inquam, quo respondisse videri vult, & refutâsse *Linguarium* meum. Ego verò æstimare te velim, Lector, æquumne sit, vt vir cordatus

tus libello isti, vel audientiam præstet, vel responsum? tametsi enim non nesciam fuisse, etiam de Romanis Imperatoribus, qui, ignobili sanè aucupio, Muscas in conclaui venaretur, ego tamen temporis iacturam vereri, materię paruitatem negligere, & stridulam hanc *Clauem*, merito fastidio damnatam, nec ad manus, nec ad genua admittere me debere, multimodè animaduerto. Quodnam enimuero responsum, indignius responso, esse queat? Oppono *Scripturæ Loquenti*, argumenta *in Linguario*, & numero non pauca, & pondere non leuia; quid in *Claue* fero responsi? quæ his argumentis petuntur, clara esse, ac liquida, nec ad id opus esse, vel luce aliâ, vel consequentijs. pag. 19. & 21. consequentiæ pro rectè intelligendo Ioannis 20. cap. quinque ipsis capitibus productæ, vno flatu, vtique Aquilonari illo, vnde malum omne venit, dispelluntur. ait per consequentias hanc conclusionem suam, in scripturâ non quærendam

dam, conſtare è claris verbis ipſius huius ſcripturæ; conſequentias meas ad ſe ideo non ſpectare; contra quas etiam alijs locis paſſim proteſtatur, & priuatim in præfatione ad Lectorem, idipſum præfatur, aítque, ad illas ſe non reſponſurum, §. in der Dialectic. cum ſint *profana vaniloquia.* 2. ad Tim. 2. verſ. 15. *Stultæ, & ſine diſciplinâ quæſtiones, quæ generant lites.* verſ. 24. Et ne penitus nihil egiſſe, & ad obiecta nihil reſpondiſſe videatur, totus, ac multus eſt in propoſitionibus, ac concluſionibus, à me, reiectis, repetendis declarandis, confirmandis, quaſi verò oppugnatam theſin confirmare, ſit ad contraria argumenta reſpondere? Non pudet ergo tantùm, tantillis me opponere, & implicare, ſed & piget; quid enim non video laboris mihi ſuccreſcere, hoc ſi ſtadium decurrere incipiſſo? Lælio operoſum non erit, ad obiectorum vim, & ἐνεργείαν tacere; ſcripturam, ac theſin ſuam veram, claramque proclamitare; lacinias admordere tan-


re tan-

re tantùm extimas; momenta quibus vrgebitur contentiùs, arctiúſque, velut *stultas quæſtiones,* & *vaniloquia profana* infamare; incauto Lectori multiloquentiâ ſuâ palpum obtrudere; mihi verò, & tuſſis, & rauis, & nautea omnis in tergo eſt, ac labor Siſyphi in manu, dum deuiantem Sophiſtam, in viam reuoco, dum tacentem Sigalionem ad lineas reduco, ad rem ipſam vocalem reddo. Quidquid tamen ſit laudo Xenocratem, iam quidem non imitor, in diuerſum enim me caſum dabo; reſpondebo, & *clauem* quàm inficeta eſt, Clava iſtâ, non Herculeâ (poteſt enim à cane non magno iſte aper teneri) minutatim confringam, vt *clauiger* ſæpiùs ictus, cum piſcatoribus ſapere condiſcat, & tute videas, Lector, quam miſerandi illi ſint, qui Lælio, cæteriſque id genus Prædicantibus, ſcripturam ſacram ſuo cerebro metientibus, ſalutem ſuam concredunt. Poſſes id doceri paucis Lector, & compendiariâ ad errores Læ-

lij deduci viâ; nam quî fieri poteſt, vt Ioannes cap. 20. Lucas Act. 1. aliíque citati à Lælio Apoſtoli, affirment, *omnia ad ſalutem, & Fidem neceſſaria, in Sacris Biblijs, iam ſcripta exſtare, ab Articulis Fidei, non ſcripta, eſſe proſcripta,* cum reipsâ tales exiſtant Articuli, neceſſariò credendi, in nullâ Scripturâ Canonicâ reperti? Credit Lælius quatuor noſtra Euangelia eſſe Verbum DEI; in nullâ hoc reperiet ſcripturâ. credit hæc eſſe eorum Euangelia, quibus inſcripta ſunt, vbi autem in ſuâ *claue* teſtem, prouocatus à me, ſtitit? credit illa eſſe integra, non manca, nõ ſuppoſititia, adulterata, vbi ex ſcripturâ, à me rogatus, probauit in *claue?* Epiſtolam S. Iacobi vbi in ſcripturâ, vel ſtramineam, vel auream, ac probam legit? multa de genere hoc ſunt credenda, creditáque Lælio, aliíſque, nullâ ſcripturâ tamen teſtata, & ſcriptura dicat, omnia hæc eſſe ſcripta? Non poteſt falſum teſtari ſcriptura, quidquid laboret Lælius; qui dum in *Claue* ſuâ, ad obiectos

iectos articulos, vt parte 3. huius libri ostendam, nullum scripturæ produxit testimonium, contra scientiam, ac cōscientiam suam, sciens, prudénsque, adeoque vt perdat, non vt saluet, laborauit. Fatisceret sanè, nec egeret alio responso, tam *clauis*, quàm Lælius, ita clarum hinc est, nec scripturam Lælio fauere, nec Lælium Scripturæ fidum interpretem esse posse; ne tamen meus Prædicans succenseat mihi, responsionum suarum, aut obiectionum præteritionem *clauem* totam membratim exenteratam, velut murænam edorsuabo; sed videbis, Lector, manticæ Lælianæ quid à tergo sit; nec vitio vertes, Stomachanti quandóq; calamo, si asperior videatur; culpâ qui carere non potuit, non potuit iustam reprehensionem non mereri: non Lælium, sed libellum ferio; amicus Lælius, amica tamen magis veritas, cui Lælius in libellis suis tam est inimicus, vt egere ferulâ videatur: à quâ dū vapulat, specta, Lector, & vale.

PARS



PARS. I.

DE VERBO DEI, ARTIculo 1. Scripturæ Loquentis.

CAPVT I.

De titulo, *Scriptura Loquens*, &c.



AB Ioue alij principium, Lælius sumit à Mercurio, & quasi si gallum sacrificâsset, ita promptum reperit responsum: negat enim pag. 1. succensendum sibi, *Clarè Loquentis Scripturæ* titulum, quod eum scilicet, à Doctoribus Catholicis sit mutuatus, qui & ipsi, tali epigrammate, libellum suum inscripseruut. Facit iniuriam Doctoribus Catholicis, neque enim illi (quod ego in Lælio, tantopere, ac toties in *Linguario* reprehendo) *Clarè* loquentis Scripturæ responsa pollicentur, solus Lælius hoc facit, vtque faciat honestiùs, socios pœnarum quærit; non repertos, mirâ metamorphosi productos sistit.

§. I.

VATICINIVM

De

CLAVE LINGVARII,

Libello

LAVRENTII LÆLII,

Circa Annum Christianum Nonagesimum,

Ex Parnassio Apollinis Tripode editum.

Equiti Superbo, Nobili, locupleti,
Cecidit repēte magna, de sinu, CLAVIS:
Nunquam, Fabulle, NEQVIOR fuit
CLAVIS.

Reperitur inter Epigrammata Martialis
Lib. 5. Epig. 36.

Illustrissimo, S. Rom. Imp. Principi, ac Domino, Dño.

FRIDERICO,

Marchioni Brandeburgico, Prussiæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubij, Silesiæ, Iägerndorffij, &c: Duci, Burgrauio Norimbergensi, & Principi Rügensi, &c.

Domino suo Clementissimo, Vitam & Fælicitatem precatur,

GEBHARDVS RAZENRIEDT, Societatis IESV.



Aurentius Lælius ILLVSTRISSIME MARCHIO, CLEMENTISSIME PRINCEPS, in palatium tuum, prælicentem, si non & temerarium intulit pedem; hastam in eâ, velut in foro, aut Comitio po-

 suit;

ſuit; ſellam Prætori tibi curulem ſtatuit, ſe actorem, me reũ effecit. Caput accuſationis libellum eſſe voluit, à me, contra primam *Scripturæ* ſuæ *Loquentis* controuerſiam, luci datum; in quo ſacrorum voluminum ſacroſanctam auctoritatem conuulſam eſſe, & quid denique non? contra me quiritatur. conclamat mea, ſua integra eſſe omnia, à capite ad vſque calcem proclamat. Hæc ſumma litis ILLVSTRISSIME PRINCEPS. dicamne conteſtatam? dicam enimuero, quia apud te; quem niſi de Heroum ſanguine nôſſem, forum declinarem. Nunc quia mihi certum eſt, generoſa in ortus ſuos exurgere ſemina.
nihil

nihil trepido, meâ causâ, & Illustmâ tuâ indole fretus; neque enim nescius sum, Principes animos, à clarissimis Iusti, Æquíue radijs serenare.

Adsum igitur, non temerarius, quia ad te, in ius vocatus; si ingratus, non causa, sed Actor tibi charus, grauis tamen reipsa, & tibi amicus, & Veritati inimicus facit. Actorem quia admittis, non repelles reum; non potes, causæ postulatus cognitor, eum repellere, cui alteram debes aurem: hanc mihi integram, & te reseruâsse, nullus dubito, & *Clauem Lælij*, non reiectam, mihi reserasse confido. Venio ergo iure meo, pro me, imò pro te, ILLVSTRISSIME


PRINCEPS, potissimùm dicturus, vt videas tandem, (quod, velut multorum errorum fertile seminarium, acriter hac tempestate Prædicantes propugnant) nequaquam *totam Christi doctrinam sacris inscriptam circumferri paginis, sed bonam partem Traditionibus Ecclesiæ contineri.* quod vidit ante te, ipse qui me reum facit, Lælius, cum ad articulos Fidei aliquot, cap. 7. *Linguarij* mei, ad sacræ scripturæ examen illi submissos, nullam scripturam, sed coactas Veritate manus, cum alieno responso, in *Claue* sua, dedit. quod ipsum etiam ILL^{MAM} CELS: Tuam videre nullus voluit, vt quadram scilicet tuam diutius lingere, &

tam diuite Sportulâ, in Aulâ tuâ, porrò mactari mereretur, suæ cuticulę, quã æternæ tuæ saluti attentior. Est sanè fundamentũ istud, de quo agimus, Lutheranæ rei: vide igitur ILLME MARCHIO, vide obsecro qualenam? vt videas profectò causam habes, *Lælium tuum*, in hoc vehementer trepidantem, in probatione tam clarè deficientem, Scripturam ipsius non *loquentem* amplius, sed tacentem, mutam.

Ea propter ad CLEMENTISSIMAS ILL^MÆ TVÆ CELS: manus, libellum hunc supplicem, ILL^MO TVO nomini demissâ cum reuerentiâ inscriptum, venerabundo affectu, reueren-

uerenter transmitto, obteſtórque, cauſam vt meam, periculum quin potius tuum, non X-viris Stlitibus iudicandis, committas, ſed penſiculatè *probando ſpiritum num ex DEO ſit*, vt *quod bonum eſt tenere queas* ipſe prudenti æſtimatione arbitreris. Cauſaque tũ denique cognita, Da, dic, addic, ex animi tui ſententia: litem profectò etiam ad Libonis puteal iniuratus, tuam non facies, ſi quidem ego Principes noui, & tu auitos, (quod ſpes in herba pollicetur) regeneras Principes. Cæterum DEVS te ſoſpitet, ILLME MARCHIO, &, etiam mihi clementiſſimè fauentem, diu ſeruet. Eichſtadij Cal. Maij Anno Christiano M DC XXX.

Præ-



Præfatio ad Lectorem.



QVID si non miratorem, me, sed æmulum haberet Xenocrates, Lector; qui cum lasciuus vnus aliquis, ac prætextati oris ganeo, nescio quas, de Artellanis, ingereret quæstiunculas, illosque diu stomachante silentio, vir honestus dissimularet, impatiente tandem linguâ, importuno percontatori, ista te, respondit, hominem proiecti pudoris sciscitari quidem, me verò haudquaquam, ad ista, decet respondere. Exigit à me, in re quidem dissimili, non dissimile tamen responsum, Lælius; *Clauem* enim edidit, libellum inquam, quo respondisse videri vult, & refutâsse *Linguarium* meum. Ego verò æstimare te velim, Lector, æquumne sit, vt vir cordatus

tus libello isti, vel audientiam præstet, vel responsum? tametsi enim non nesciam fuisse, etiam de Romanis Imperatoribus, qui, ignobili sanè aucupio, Muscas in conclaui venaretur, ego tamen temporis iacturam vereri, materię paruitatem negligere, & stridulam hanc *Clauem*, merito fastidio damnatam, nec ad manus, nec ad genua admittere me debere, multimodè animaduerto. Quodnam enimuero responsum, indignius responso, esse queat? Oppono *Scripturæ Loquenti*, argumenta *in Linguario*, & numero non pauca, & pondere non leuia; quid in *Claue* fero responsi? quæ his argumentis petuntur, clara esse, ac liquida, nec ad id opus esse, vel luce aliâ, vel consequentijs. pag. 19. & 21. consequentiæ pro rectè intelligendo Ioannis 20. cap. quinque ipsis capitibus productæ, vno flatu, vtique Aquilonari illo, vnde malum omne venit, dispelluntur. ait per consequentias hanc conclusionem suam, in scripturâ non quærendam


dam, constare è claris verbis ipsius huius scripturæ; consequentias meas ad se ideo non spectare; contra quas etiam alijs locis passim protestatur, & priuatim in præfatione ad Lectorem, idipsum præfatur, aítque, ad illas se non responsurum, §. in der Dialectic. cum sint *profana vaniloquia*. 2. ad Tim. 2. vers. 15. *Stultæ, & sine disciplinâ quæstiones, quæ generant lites*. vers. 24. Et ne penitus nihil egisse, &ad obiecta nihil respondisse videatur, totus, ac multus est in propositionibus, ac conclusionibus, à me, reiectis, repetendis declarandis, confirmandis, quasi verò oppugnatam thesin confirmare, sit ad contraria argumenta respondere? Non pudet ergo tantùm, tantillis me opponere, & implicare, sed & piget; quid enim non video laboris mihi succrescere, hoc si stadium decurrere incipisso? Lælio operosum non erit, ad obiectorum vim, & ἐνεργείαν tacere; scripturam, ac thesin suam veram, claramque proclamitare; lacinias admordere tan-

re tantùm extimas; momenta quibus vrgebitur contentiùs, arctiúsque, velut *stultas quæstiones,* & *vaniloquia profana* infamare; incauto Lectori multiloquentiâ suâ palpum obtrudere; mihi verò, & tussis, & rauis, & nautea omnis in tergo est, ac labor Sisyphi in manu, dum deuiantem Sophistam, in viam reuoco, dum tacentem Sigalionem ad lineas reduco, ad rem ipsam vocalem reddo. Quidquid tamen sit laudo Xenocratem, iam quidem non imitor, in diuersum enim me casum dabo; respondebo, & *Clauem* quàm inficeta est, CLAVA istâ, non Herculeâ (potest enim à cane non magno iste aper teneri) minutatim confringam, vt *clauiger* sæpiùs ictus, cum piscatoribus sapere condiscat, & tute videas, Lector, quam miserandi illi sint, qui Lælio, cæterisque id genus Prædicantibus, scripturam sacram suo cerebro metientibus, salutem suam concredunt. Posses id doceri paucis Lector, & compendiariâ ad errores Læ-

lij deduci viâ; nam quî fieri poteſt, vt Ioannes cap. 20. Lucas Act. 1, aliíque citati à Lælio Apoſtoli, affirment, *omnia ad ſalutem, & Fidem neceſſaria, in Sacris Biblijs, iam ſcripta exſtare, ab Articulis Fidei, non ſcripta, eſſe proſcripta,* cum reipsâ tales exiſtant Articuli, neceſſariò credendi, in nullâ Scripturâ Canonicâ reperti? Credit Lælius quatuor noſtra Euangelia eſſe Verbum DEI; in nullâ hoc reperiet ſcripturâ, credit hæc eſſe eorum Euangelia, quibus inſcripta ſunt, vbi autem in ſuâ *claue* teſtem, prouocatus à me, ſtitit? credit illa eſſe integra, non manca, nō ſuppoſititia, adulterata, vbi ex ſcripturâ, à me rogatus, probauit in *claue*? Epiſtolam S. Iacobi vbi in ſcripturâ, vel ſtramineam, vel aurcam, ac probam legit? multa de genere hoc ſunt credenda, creditáque Lælio, aliiſque, nullâ ſcripturâ tamen teſtata, & ſcriptura dicat, omnia hæc eſſe ſcripta? Non poteſt falſum teſtari ſcriptura, quidquid laboret Lælius; qui dum in *claue* ſuâ, ad obiectos

iectos articulos, vt parte 3. huius libri ostendam, nullum scripturæ produxit testimonium, contra scientiam, ac cõscientiam suam, sciens, prudénsque, adeoque vt perdat, non vt saluet, laborauit. Fatisceret sanè, nec egeret alio responso, tam *clauis*, quàm Lælius, ita clarum hinc est, nec scripturam Lælio fauere, nec Lælium Scripturæ fidum interpretem esse posse; ne tamen meus Prædicans succenseat mihi, responsionum suarum, aut obiectionum præteritionem *clauem* totam membratim exenteratam, velut murænam edorsuabo; sed videbis, Lector, manticæ Lælianæ quid à tergo sit; nec vitio vertes, Stomachanti quandóq; calamo, si asperior videatur; culpâ qui carere non potuit, non potuit iustam reprehensionem non mereri: non Lælium, sed libellum ferio; amicus Lælius, amica tamen magis veritas, cui Lælius in libellis suis tam est inimicus, vt egere ferulâ videatur: à quâ dũ vapulat, specta, Lector, & vale.

PARS



PARS. I.

DE VERBO DEI, ARTIculo 1. Scripturæ Loquentis.

CAPVT I.

De titulo, *Scriptura Loquens*, &c.



AB Ioue alij principium, Lælius sumit à Mercurio, & quasi si gallum sacrificâsset, ita promptum reperit responsum: negat enim pag. 1. succensendum sibi, *Clarè Loquentis Scripturæ* titulum, quod eum scilicet, à Doctoribus Catholicis sit mutuatus, qui & ipsi, tali epigrammate, libellum suum inscripserunt. Facit iniuriam Doctoribus Catholicis, neque enim illi (quod ego in Lælio, tantopere, ac toties in *Linguario* reprehendo) *Clarè* loquentis Scripturæ responsa pollicentur, solus Lælius hoc facit, vtque faciat honestiùs, socios pœnarum quærit; non repertos, mirâ metamorphosi productos sistit.

§. I.

§. I.

Theologi Catholici, Colloquij Ratisponensis defensi.

LAudat Lælius Theologos Catholicos, è Scripturâ, edito libello, sua dogmata probantes; vituperat Ratisponenses, scripturæ contemptores pag. 2. sed & illi laude digni, & isti indigni vituperio; neque enim scriptura contemnitur, cum obscura, cum materia controuersiarum, non intellecta scilicet, vocatur; vt in *Maculis Solis*, seu responso ad 2. cap. *Script. Loq.* declaraui, tunc enim sensu alieno peruersa, scriptura tam parum est, quàm parum homo, animâ destitutus, est homo: Intellectam ad mentem Spiritus sancti, nemo nostrum non adorat. Sed Lælius Papam, scripturæ interpretem, causarúmque controuersarum cognitorem timet: certè alium non acceptamus; supra *Petrum*, Ecclesiam Christi ædificatam scimus, non supra *Lutherum*, aut Lælium, aut alium aliquem. Solam hanc linguam, quæ in Petri Cathedrâ loquitur, Spiritus sanctus moderatur, non minùs, alioue exemplo, quam in Cathedrâ olim Moysis factitabat Synagogæ. Non insolens hæc est auctoritas in Ecclesiâ. exemplum habet in V. Testamento, Scripturam in Nouo, & Historiam Ecclesiasticam tam certam Papatus,

tus, quàm Euangeliorum, aliorumque voluminum sacrorum testem. Nimis mihi frigetis; qui solius cerebri vestri nugas, contra tam clara documenta; profertis.

§. II.

Sententia Catholicorum; de quæstione huius tituli.

QVi articulos fidei omnes ita in scripturâ quærat, vt non repertos iudicet non esse credendos, nullus reperitur inter Doctores Catholicos: hoc modo in scripturâ soli Hæretici, hostes Traditionum, Fidem quærunt. ita Ariani articulos fidei examinant; ab Augustino damnati; Eunomiani, Macedoniani à Basilio censi. Eutichianis, Pelagianis, hoc erat solemne, credere quod legerunt, quod non legerunt non credere, hos citaui pag. 20. *Linguarij*, sed non respondisti. Malè itaque pag. 2 num. 2. colligis, esse quosdam de Catholicis DD. quibus hæc quæstio non sit Hæretica, si enim eo fine sit instituta, vt in scripturâ non reperti, fidei articuli, reijciantur, ex Hæretico fonte promanat, omnium Catholicorum censurâ damnatur; sin alio, nihil ad nos.

§. III.

Credere Laici, decreta fidei examinare non debent.

QVàm param in naſcente Eccleſiâ Chriſti, pertinuit ad Laicos, vel quoſcunque demum alios, præcepta Apoſtolorum, & ab ipſis propoſitos fidei articulos, ad libellam, vel amuſſim vocare, tam parum hodie pertinet ad eoſdem, decreta fidei, à ſummo Pontifice ſtatuta, examinare: par enim Petro, & ſucceſſoribus, in eâdem Cathedrâ conſtitutis, eſt à Chriſto data poteſtas, par auctoritas, certitudo, ac veritas non impar. Apoſtoli ſupra errorem erant, eſt & Pontifex in Cathedrâ. quid examinabitis igitur vos Laici, vel quicunque Cenſuram hîc affectatis? doctrinam Spiritus ſancti? debuiſtis Apoſtolis cæcam in acceptandâ fide, obedientiam, debetis ergo eandem Pontifici, ater ſit, an albus, quâ de re tum in *Vindicijs*, tum in *Modio*, tum in *Cerâ Vlyſſeâ* diſſerui, cum ad cap. 10. 8. & 7. reſpondi.

§. IV.

§. IV.

Meritò lectionem sacrorum volumi-num vulgo non permitti.

MAla est consequentia, quam pag. 4. num. 4. meus Publicola facit, contra *Pij*, & *Clementis*, decreta, quibus iure legendorum Bibliorum priuatur populus; ait enim. *Licitum est cuiuis sciscitari, vbi scriptum sit; Ergo licitum etiam est cuius Biblia sacra legere.* Licitum est Idola aspicere, non est licitum tamen illa adorare, hoc enim vetuit DEVS, alterum permisit. Hoc pacto permissa licet, aliquo saltem modo, vt dixi §. 2. supra, hæc sit quæstio, non est permissa tamen hæc lectio cuiuis, Christo per Ecclesiam suam, quam audiendam esse præcepit, illam vetante.

Neque verò Beræensium exemplo res tua fiet animior, Læli; nam fideles adhuc non erant ex integro, nec lectio scripturarum, in Ecclesiâ tunc interdicta. Imò sic ipse tibi neruos incidis; nam primò, pro vulgo dicturus, in exemplum proponis *Nobiliores eorum qui sunt Thessalonicæ*: Deinde si Berœnses rectè factitâsse autumas, vt hæc documenta dare nobis possent, demonstras non minus scripta, quam dicta Apostolorum, vulgi censuræ subiacere. S. Pauli doctrinam arbitrati sunt Berœnses, imitandi à

Lælio proponuntur, quid restat, nisi vt Noui Testamenti sacra volumina, humanâ censurâ liceat collutulare? doctrina sanè est Apostolorum, siue dicta, siue scripta: dictam censuerunt Berœnses, auctore Lælio, licitè, cur non liceat & scriptam censere? Vides quanti scripturam facias? illa tibi vera non est, nisi vulgo approbata, reclamante populo, & doctrinam Apostolicam non acceptante, quid erit illa doctrina? verane, an falsa? si vera, contradicente vulgo, quid opus illius censurâ, quæ errare potest, in doctrinâ Christi, & Apostolorum, eò ipso, quod veram pro falsa censet. Si falsa erit, quomodo doctrina Apostolorum, erit Verbum DEI, doctrina Christi? quomodo scriptura non erit dubia, & suspecta, cũ sit Apostolorum, & Christi ipsius doctrina, verbum Spiritus sancti? Sed de hoc aliàs, nunc disce saltem *Pium* & *Clementem* Pontifices Maximos, iure Biblia è vulgi manibus exemisse, illique liberam legendi potestatem meritò abiudicâsse, ne simplicitate abrepti, scrutatores Maiestatis efficerentur; ne indocti, & instabiles, difficultate Scripturæ, periculum salutis adirent, ideo dominis furiosis, gladium dari vetuerunt.

§. V.

Pag. 5. num. 6. tragulam in Doctissimum Virum P. Iacobum Gretserum iacis, & more tuo

tuo dicta illius recitas mutila, manca, alieno quam dicta fuerunt, sensu. Ais in Colloquio Ratisponensi Gretserum affirmâsse, Spiritum sanctum, in controuersijs fidei *nullam* sententiam dare posse per scripturam: non dixit hoc Gretserus, absque omni discrimine, *euidentem* duntaxat, & per controuersa illa Scripturæ verba dandam, non obscuram, & quæ damnatæ parti certa esse non possit, dubiam sententiam exclusit. Audi verbatim Gretserum quem in *Script, Loq.* ipse citas sess; 9, hæc loquitur: *Si est iudex Spiritus sanctus, tunc nunc condemnet me vt euidenter* (NB.) *mihi constet me causa cecidisse: hoc non potest facere Spiritus sanctus* (non absolutè, sed) *vt præcisè loquitur per hanc scripturam.* Si hoc Læli rectè dictum non vides, meridianos solis radios non vides: vbi enim hæret sententia Spiritus sancti? controuersam inter nos scripturam habemus vbi vero in illâ habemus Spiritus sancti sententiam? dicitne tibi euidenter per hanc scripturam ad Rom. 3. *solam fidem non iustificare*, aut mihi *solam fidem iustificare*? tibi hanc Spiritus sancti sententiam, *solam fidem non iustificare* constare euidenter non dices, nec ego mihi hanc à Spiritu sancto certam esse, *solam fidem iustificare.* Nulla igitur à Spiritu sancto data sententia est, clara, euidens, cum nulli parti constat, per hanc scripturam præcisè se causâ cecidisse. Itáque mi Læli contra verba, & sen-

tentiam Gretſeri, frontem capera, nam illa contra quæ naſus tibi fumat aduncus, tua ſunt, munge, & videbis.

§. VI.

Denique toto hoc capite, nil factum meliùs, quam quod finiueris, cauſam tituli, libello tuo præfixi, adferendo. Non potuiſti tamen id ipſum, abſque næuo; defendis enim ex cauſâ titulum, pag. 5. num. 7. quem, ob hanc cauſam, nemo impugnat; hoc enim non reprehendimus, quod ex ſcripturâ probetis, quæ docetis, ſed quod ad omnes nos inter controuerſos articulos, ſententiam, & *Clarum* reſponſum ſcripturę te dediſſe, vel dare poſſe glorieris, id enim uero ridicularium nobis eſt. Quomodo *Clarum*, ſi tot argumentis, tam ſolidis rationibus conuellitur? quomodo reſponſum das ex ſcripturâ *Clarum*, quam Eccleſia tot ſæculis aliter eſt interpretata? Habes paucos, at principes ferè, Chriſtianæ fidei articulos, in *Modio* meo, conſtanti Doctorum conſenſu, ab ipſo Eccleſiæ oxurtu, huc vſque, contra te, aliter ex ſcripturâ intellectos, & *Clarum* ex ſcripturâ dederis reſponſum? Scripturam tu vtique minùs, quàm tot ac tanti Doctores, es aſſecutus. Mille modis veſtra reſponſa claudicant, & *Clara* eſſe vultis? ſi quæ clarè falſa ſunt, clara ſunt,

reſpon-

responsa tua, ex scripturâ malè intellectâ, sunt clarissima.

CAPVT II.

De Linguario.

ACcij Poëtæ dictum A. Gellius refert, *Nihil credo auguribus, qui aures verbis diuitant alienas, suas vt auro locupletent domos.* Ego verò de Prædicantibus Acatholicis accipio dictum, qui dum linguam suam in quæstum locant, & Veritatem adeò clypeatam animaduertunt, vt vulneri locus non sit, dolos omnes in consilium euocant, & quibus possunt figmentis rem gerunt. Exempla sexcenta occurrent in Læliana *Claue*, in quâ nec secundum hoc caput, quàm breue est, eiusmodi artibus non turget. in illo primipilarem calumniam in primâ acie, præter morem locauit, nam legisse me libellum abs se luci datum ait, eo animo, vt scripturæ diuinæ vim inferrem. Ista quidem vis est, Prædicans, & è mero liuoris fermento, non è Iouis Cerebro nata falsitas; vt Scripturam sacram subluca rem, & ab erroribus mali interpretis vindicarem, legi, relegi, & rei indigntate motus, cæpi refutare.

Deinde ægrè Lælio est, Latine dictionis stilo se configi. quamobrem mi homo? causam omi-

natur, nullam adfert; mauult scilicet, suos aliquam subesse suspicari, quam à se, nullam esse, cognoscere. Et ne vanè suspicentur, caussa hæc est, non tantùm, quia ad argumentorum sibi aduersariorum momenta difficulter respondere potest, sed quia Latinè respondere penitus non potest. Verùm ne sentias moram, mi Læli; quando Latino finij, cæpit alius vernaculo, videbis, vt spero, sed cum res poscet.

Denique ordinis turbati piaculum multis prosequitur, posset paucioribus, si verioribus voluisset. Causatur me peruerso argumentorum suorum ordine respondisse. Legas amabò Lector pag. 61. *Linguarij* mei, videbis profectò, ordine à me propositas, solutásque Lælij quæstiones; videbis Lælium turbâsse Veritatem, &, si quidem potest, erubescere debere. Quod si porrò etiam piaculi tanti instar est, ordinem libelli refutandi disturbare, quod Lælio quidem videtur, suomet se condemnat testimonio, nam *Linguarij* mei ordinem omnem omnino, ne seruatis quidem quæstionibus, sustulit. Sed Mæuius meus ignoscit sibi, & videt festucam in oculo meo. Sunt Læli quibus consultò ordinem *Linguarij* interuertisse, & priuatim certo consilio quæstionum & capitum & paragraphorum titulos, prætermisisse videris, vt scilicet consequentias titulis illis in-

sinua-

ſinuatas, aliaque ad quæ reſpondere difficile erat, declinares. Sed omittas licet, ſatis videmus cur Ariſtogithon crure obligato forum inambulet, bellum timet, cauſſarium eſſe, quàm militem, tutiùs credit.

CAPVT III.

De Ordine primi Capitis Scripturæ Loquentis.

CRamben incipit miſeris Magiſtris coquere Lælius, & repetit cap. 1. *Script. Loq.* eiuſque ordinem ex ordine deductum commendat, quid opus? vt ſcilicet creſcat opus. Abſtineo hîc reſponſum, nam capitulatim eadem recantata redibunt. Epilogum tamen capitis huius nequeo illibatum præterire, elegans enim profectò, breuis, totiúſque eſt operis compendium.

> *Pag.* 19. ait, *omnes, Script. Loq. quæſtiones, ipſorum Apoſtolorum, Euangeliſtarúmque decretis deciſas, vt eâ propter conſequentijs, ac deductionibus meis, nec opus ſit, nec operæ precium reſpondere.*

Ohe, mi bone, nimis curtus es; ſed elumbis etiam nimis: Hoc modo, etiam pueri controuerſias ſoluent. Et noſtra quoque reſponſa A-

postolorum sunt, & Euangelistarum, & longè quidem tuis clariora: audis certè *Traditiones, siue per sermonem, siue per epistolam* obseruandas; omnem Christi doctrinam, scriptam esse, nusquam audis; nec enim Ioannes, abs te citatus, 20. cap. præter *quædam*, non omnia facta, *scripta esse, vt credamus*, testatur, nec Lucas Act. 1. dicit se scripsisse omnia, sed *de omnibus, quæ cæpit IESVS facere, & docere*. & multas doctrinas Christi, nec in Ioanne, nec in Lucâ legimus. Vnde ergò tibi hinc constat Læli, si non per consequentiam, omnem omnino Christi doctrinam esse scriptam? si locus ergò apud vos est consequentijs, ad nostras consequentias erit etiam respondendum; consequentiæ vestræ erunt probandæ.

CAPVT IV.

De I. Quæstione cap. 1. Script. Loq. *vbi scriptum sit, nihil in Ecclesia Christi credendum, quod non docuerit Christus?*

PAratragœdiantem pag. 20. exaudio Lælium, & ob præteritionem huius quæstionis stomachantem: imò quasi de Murænis triumphans posito cothurno, soccos comicè indutus exul-

exultat, & hæsisse *Linguario* meo, inter responsa, linguam inficiatur, suámque hanc primam quæstionem saluam, insolutámque adhuc perstare.

O Prædicans miserande, itane verò iterum à malo peculium quæris? contra mentem tuam, certámque, ac claram scientiam, dicis omissam, & non solutam, à me, tuam primam quæstionem? Estne hoc viri probi, ac integri? cur pag. 73. tantopere tibi in nasum assurrexit consequentia, ad normam tui responsi, à me pag. 62. *Linguarij* facta, si responsum ad 1. quæst. tuam non legisti? si legisti, quo ore, DEVM immortalem, negas me respondisse? Quid sibi volunt hæc verba, pag. 61. *Linguarij* hac cum distinctione tam partitè, & expressè posita?

Ad quæstionem I.

" *Fol. 1. rectè quidem, sed contra nos nihil respon-*
" *det; nam & Catholici mordicus doctrinæ*
" *Christianæ inhærent, nec de statione hac,*
" *vel latum vnguem dimoueri se patiuntur.*
" *Quod si verò Lælius per* Sermones *&*
" Doctrinam *Christi, solam Scripturam, vt*
" *videtur cum alijs velle, intelligit, tota Lo-*
" *gicorum schola laurum mordebit &c.*

An non hoc ad I. Quæst. tuam est respondere? legisti hoc, infide Prædicans, nam responsi huius

huius verba ipse, in *Claue* tuâ, citâsti; sed vt meam causam deteriorem faceres, ausus es etiam scripto spargere, me quæstionem primam præterijsse, nihil respondisse; hæc tua sanè verba sunt

Pag. 11. Dise Frag vnnd Antwort hat Razenriedt GANTZ vbergangen/ welche doch der Hauptgrund ist/ rc.

Similia pag. 20. iterasti. Nisi tibi parcerem Læli, nominarem tropum, quo caput istud decorâsti: sed alijs hæc spicilegia relinquo, & quid ad meum responsum pag. 61. *Linguarij* tibi datum, respondeas exspecto, in *Claue* tuâ clausa omnia, nullum responsum.

CAPVT V.

De II. quæst. cap. 1. Script. Loq. *Vtram Scripturas ad fidem, & salutem necessaria omnia complectatur?*

PAtrem exuisse credebatur Protagoras, quod filiam suam homini sibi inimicissimo nuptũ dederit; interrogatus ob insolentiam facti, respondit; nihil illâ deterius, vel domi suæ reperisse, vel dare hosti potuisse. Nescio quo loco tibi

tibi ſim Læli; ſi quidem hoſtibus deterrima dantur, ego inter amicos tuos locum nullum reperiam, talia quippe reſponſa, & conſequentiæ eiuſmodi ſunt, quas ad argumenta, & obiectiones meas accipio, vt præ illis, filia Protagoræ, nec mala quidem eſſe queat. Voco te in rem præſentem, Lector, iam enim in eo ſum, vt videre poſſis, quàm nullo fundamento affirmet, Lælius, omnes omnino fidei articulos in ſcripturâ reperiri. Decretum Ioannis ait hoc eſſe, cap. 20. id pronuntiantis: recito tabulas, audiamus.

Multa quidem, & alia ſigna fecit IESVS, in conſpectu Diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc: hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis, quia IESVS eſt Chriſtus Filius DEI, & vt credentes vitam habeatis, in nomine eius.

Ex his ergò verbis, quanta malarum conſequentiarum meſſis naſcatur, quam multa, & mala reſponſa, accipiam, ex ſequentibus controuerſijs, ipſius quippe Lælij reſponſis, demonſtro.

Con-

Controuersia I.

Vtrum absq; consequentia, ex his verbis S. Ioannis constet, omnia ad fidem necessaria seu omnes fidei articulos, esse scriptos.

HOc respondet pag. 21. Lælius, ideoq; meas mihi redhibet consequentias, inutilem ad ista, & indignum, suo responsò, laborem. Verùm non nemo, mi Læli, hoc modo respondet, quandò respondere non potest. Quinque capita scripsi, vt probarem talia, in Ioanne, non inueniri? tu ad illa non tantùm mutus es, sed nec dignanda censes responsò: consequentias contra hanc tuam conclusionem allatas, tam ais rei conducibiles, quàm tenebræ soli: possem ita tibi ad totam tuam *Cluem*, respondere, nisi hęc differendi ratio rimas ageret, & minus solidum quid creparet. Ista verò Prædicantium sunt compendia, cum respondere non possunt, tacere, cum tacere indecorum vident clamitare, hoc ad rem non pertinere.

Cæterum obserua Lector; negat Lælius per consequentias hanc suam conclusionem, ex Ioanne expiscandam esse, eò quod apertis, in Ioanne verbis contineatur. Tuam fidem! Ioannesne

nesne cum dicit, non omnia signa à se scripta, sed aliqua, ex quibus fidem, & salutem consequi possimus, affirmat omnes articulos fidei quotquot sunt, vel à se, vel ab alijs esse scriptos? legisne hoc in Ioanne, absque vllâ deductione, verbis claris, & expressis? Non legis scio: nec ipse, qui hoc effugium commentus est, Lælius talia legit, in Ioanne, sine consequentiâ; nam pag. 22. immemor sui, vt faciunt qui malâ agunt fide, demonstrat, clarè à Scripturâ hoc affirmari, his verbis

> So wir dann durch die Schrifft im Glauben/ vnnd Erkandtnuß Christi/ so vil Vnterrichts haben/ daß wir dardurch das ewige Leben im Namen Christi erlangen/ so mueß ja die Schrifft/ die völlige Lehr deß Seeligmachenden Glaubens in sich haben/ daß erst sagt Joannes mit klaren Worten/ also bleibt auch das ander.

Istud verò mi Lęli est consequentia, nec clara, nec ex claris Apostoli verbis. Falsa est cõsequentia, Propositionis falsę, nõ melior, quàm illa Protagoræ, filia. Ostendo, si opera est auribus tantisper. Propositio hæc est. *Si ex his quæ scripta sunt à Ioanne, fidem, & salutem consequi possumus, necesse est Christi doctrinam plenam, in scriptura contineri.* Hem quanta claritas? quam serena serenitas? quid illustrius? quid luculentius?

tius? & tamen falsam Maioris sequelam, non vides Læli? Multi sanè, sine *plena* doctrinę Christi cognitione, fidem, & salutem consecuti sunt, visis vel paucis, imò vel vnico Christi miraculo. putasne in his miraculis, *plenam* sessitâsse doctrinę Christianę cognitionem? adeóne cum *plena* istâ cognitione, patibulatus ille, de cruce, in cœlum euolauit latro, à Christo, pro nobis pendente, cœli iure donatus? *plena* cognitio doctrinę Christianę, est expressa omnium, ac singulorum fidei articulorum cognitio, quam nos in Scripturâ inquirimus; de expressis enim, & quidem clarè, in scripturâ expressis omnibus fidei articulis agimus, & altercamur; horum notione destituti, quàm multi fidem, & salutem consequuntur? tune cœlo excludes omnes, vel vnius articuli expressâ scientiâ defectos? parciùs ista. Ergò igitur, sequela tua est, non Ioannis; falsa enim est; fides siquidem, & vita æterna, absque *plena* totius doctrinę Christianæ cognitione acquiri potest; non necesse est igitur, vt scriptura, ex quâ credere, & saluari possumus, *plenam* illam cognitionem contineat, satis est continere sufficientem.

Habes ergò iam nunc Lector, absque consequentijs, ex his verbis S. Ioannis exsculpi non posse, hanc Lęlij doctrinam, cum nec ipse Lęlius per consequentiam exterebrare illam potuerit. Si consequentijs vsus est, cur meę remittun-

tuntur? cur non respondetur? an quia non potestur?

Controuersia II.

Quis sit horum verborum sensus; Hæc scripta sunt vt credatis, & credentes vitam habeatis?

GEminum reperio; Lęlianum vnum, alterum Christianum: priore, significat Euangelista, *hîc nos habere plenam, credendorum ad salutem articulorum, instructionem.* Ita Lęlius Ioannem intelligit, quia non intelligit. Ioannes per signa Messiam venisse, & Christum esse Messiam, probare nititur, per quæ credentes, suo testimonio, in fide solidescerent; increduli, auctoritate suâ moti, conuerterentur: cum illis enim potissimùm res gerebatur, de quibus ipse Christus dictitare est solitus *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.* Talia autem signa multis quidem data legimus, paucis plenam instructionem. Non erant plenè instructi profectò, quibus datum fuit signum Ionæ Prophetæ. Iudæis hoc signum datum incredulis, Christi auctoritas est; datum illis etiã, vt crederent in Missiam, & vt credentes vitam haberent in nomine eius, & tamen plenam isti instrictionem om-

nium articulorum fidei non habebant, & signum vt crederent, & saluarentur habebant. Multùm erras itaq; Lęli, qui articulos fidei, hoc loco quæris; signa non sunt articuli fidei, sed faciunt articulos fidei credibiles.

Alter ergò, & verus horum verborum sensus est, *hîc nos habere sufficientem probationem, IESVM esse Christum Filium DEI, nec opus esse omnium signorum calculum subducere, cum ista ad fidem, & salutem consequendam satis habeant momenti:* Ideo enim signa fecit Christus, vt per ea, quę homine maiora fecit, se Messiam demonstraret. Hac de causâ, *Si mihi,* ait, *non creditis operibus credite.* Viam hanc insistit igitur Ioannes, idque his verbis attestatur, signa ista se scripsisse, vt crederemus, IESVM, esse Messiam, non vt conderet syllabum articulorum fidei, in Ecclesiâ Christi receptorum: prius claris affirmat verbis Ioannes, posterius Lælius clarè contra scripturam.

Controuersia III.

Vtrum Ioannes de solis signis loquatur?

HIc discordamus acriter. Lælius in his verbis Apostoli, legit præter signa, etiam doctrinam Christi, quam ego nullus reperire possum.

ſum. Errant profectò oculi tui, mi Prædicans, & quod vino dubijs euenit, geminant viſa,

vt ſemel icto
Acceßit feruor capiti.

Siquidem & tibi—— *vertigine tectum*
Ambulat, & geminis exurgit menſa lucernis.

Vides in his verbis Apoſtoli, non tantùm *ſigna*, ſed etiam *doctrinam Chriſti*. Ait Apoſtolus Chriſtum *multa patraſſe ſigna*, (quid hîc de *doctrina*? nihil ſanè) *quæ non ſunt ſcripta in libro hoc, hæc autem* (quæ ſcilicet ſunt in libro hoc, *ſigna* vtiq;, de ſignis enim ſcriptis, & non ſcriptis ſermo eſt) *ſcripta ſunt vt credatis*. Quid multis? verba Apoſtoli appello; oſtendat mihi vel vnicâ ſignificatam ſyllabâ *Chriſti Doctrinam*, dabo manus. Eccum autem, quod clarus Scripturæ textus non continet, Lælius adminiſtrâ reperit conſequētiâ, animum Ioannis ſcrutatus, verbis occultè innexum. Pag. 24. in hunc modum ratiocinatur.

Manifeſtum eſt, Ioannem in Euangelio ſuo, præter ſigna, doctrinam quoq; Chriſti deſcripſiſſe: Manifeſtum ergò eſt Ioannem cap. 20. non de ſolis ſignis, ſed etiam de doctrina Chriſti eadem teſtari.

Conſequentia manifeſtè eſt falſa, ac talis: Ioannes teſtatur ſe vidiſſe Chriſtum rediuiuum,

Ergò simul etiam testatur se vidisse DEVM Patrem, Abrahamum, & omnes, de quibus in Euangelio suo fecerat mentionem: vidisset licet, non hoc tamen testatur, cum à se Christum rediuiuum visum fuisse testatur; neque enim de alio illi, quam de solo Christo tunc sermo est, quemadmodum hîc de solis signis.

Audax ergò facinus est, *Doctrinam Christi* cuius nullam, & ne remotam quidem Apostolus facit mentionem, ausu tam violento intrudere, & omissam, tam audacter subintelligere, ac quod chorum ducit, affirmatè insuper contestari, Ioannem hoc loco de *doctrina Christi* clarè loqui. Quid denique est homines falsimonijs dementare, si hoc est bonâ fide, & non contra scientiam, ac conscientiam agere?

Controuersia IV.

Vtrum hæc verba S. Ioannes voluerit esse clausulam sui Euangelij.

OMnino, pro hac clausulâ sudat Lælius, vt *doctrinam Christi* immisceat, & testem S. Ioannem de signis, & doctrinâ Christi, nobis sistat. Et verò clausulam esse nō nego; hoc nego, clausulam esse vniuersalem, omnium quæ scripsit S. Ioannes; tametsi enim omnia ejus scripta, scri-

pta

pta sint vt credamus, non tamen loquitur Apostolus, de omnibus quæ scripsit, sed de solis signis quæ scripsit, *Hæc autem* (scilicet signa scripta, & à non scriptis separata) *scripta sunt vt credatis*. Signorum ergo clausula est. Demus autem hoc, meo Lælio, & sinamus esse clausulam omnium, quæ scripsit S. Ioannes, inferetne ideo consequenter, Apostolum plenam Christi doctrinam, quoad omnes fidei articulos consarcinâsse? minimè gentium; tametsi enim salutem, & fidem inde consequi possimus, non euincet aliud, quàm sufficientem cognitionem doctrinæ Christi, à Ioanne scriptam, nam ad fidem, & salutem consequendam, non requiritur plena omnium articulorum fidei, & explicita cognitio, vnde illa nec inferri potest, ex acquisitâ fide, & salute: de quo supra. Atque vt rem in pauca conferam; plenam istam Christianæ doctrinæ descriptionem, S. Ioannes non tradidit, qui præcipuos quoque fidei articulos, silentio prætermisit. Nihil ille de concepto ex Virgine, natóque Christo, nihil de multis alijs scriptum reliquit; quomodo igitur omnium articulorum fidei, clausulam fecit, qui non omnes scripsit, & non nisi suorum scriptorum clausulam fecit?

Controuersia V.

Vtrum hæc verba, sint communis clausula, omnium scriptorum Euangelicorum, quæ quidem Ioanni cognita erant.

PRælicenter istud, vt assolet, & contra luculentam veritatem cominiscitur Lælius; pag. 16. §. ja es seynd/ animam agit nisi hoc agit, vt omnes articulos fidei scriptos euincat.

Verùm age, mi Læli, hoc anno ita comparatum noueris, vt nihil credere fas sit, nisi scripturâ diuinâ testatum. Quid tu igitur legis in Ioanne, de libris Canonicis Noui Testamenti, nam clausulam illorum in Ioanne legis? pag. 25. Negas Ebionitarum à Ioanne conuelli Hæresin, hoc argumento, quod Ebionis nomen non reperias in Euangelio Ioannis, iam verò fidem meam, aliorumque ambis, & prensas, vt credamus Ioannem, his verbis, epilogum omnibus, à se lectis, scriptorum Canonicorum libris posuisse? at nullius à Ioanne facta mentio? mirus homo es, varius & tibimetipsi grauis.

Vnde tibi porrò tam certum est, Ioannem aliorum lectitasse Euangelia, aut quasnam ex ijs viderit, quæ ad priuatos præsertim scriptæ erãt, episto-

epiſtolas? nec de vnico librorum Canonicorum tibi conſtat Ioanni cognitum fuiſſe. Nomina ſis aliquem, ſed auctoritate ſacræ ſcripturæ, & tum demum illi clauſulam addemus; tua auctoritas tanti non eſt, nimis crebro fallit.

Controuerſia VI.

Vtrum ſi hæc eſſet generalis clauſula, ex illa probari poſſit, omnes omnino articulos fidei, eſſe ſcriptos?

HOc ſcilicet conſilio, Lęlius hanc clauſulam fabricauit; pag. 16. & 24. malum conſilium, herba ſine meſſe. Eſto dicat Apoſtolus hæc omnia, quę tam ipſe, quàm alij Apoſtoli ſcripſerunt, eſſe ſcripta ad fidem, & ſalutem noſtram, tantùm hoc ſequitur, hæc ſcripta, eſſe omnes articulos à Ioanne ſcriptos, non omnes omnino articulos. Hi omnes cibi, ſunt cocti ad noſtram ſanitatem; ergò hi ſunt omnes omnino cibi, ad noſtram ſanitatem? nullus ergò non coctus cibus, erit amplius ſalubris? Hæ omnes imagines, ſunt pictæ ad oculorum noſtrorum oblectationem, Ergo hæ ſunt omnes omnino imagines, oblectationi noſtræ deſtinatæ? Ergo ſculptæ, fuſæ, fictæ imagines, voluptati noſtræ

nil conducent? ſicut omnes cibi coɛti, non ſunt omnes cibi, nec omnes imagines pictæ, omnes omnino imagines, ita omnes articuli ſcripti, non ſunt omnes articuli: ſuperſunt etenim etiam non ſcripti. Et quæſo te, mi homo, poſt abſolutum Matthæi Euangelium, quod primò lucem aſpexit, nonne ſubnecti talis poterat epilogus *hæc ſcripta ſunt vt credatis*? quid intuliſſes tunc? omnes in illo concluſos eſſe fidei articulos?

Sed mouet Lælium res magni: per iſta quę à Ioanne ſcripta ſunt, fides, & ſalus obtineri poteſt; nihil ergò amplius, ad fidem, & ſalutem conſequendam ſcitu neceſſarium, extra hæc, deſideratur; ſunt ergo hæc, quæ hîc ſcripta sũt, omnia. Reſpondeo Læli; per hæc vtique ſalutem, & fidem obtineri poſſe, per multò pauciora enim multi, in quibus Cæcigenus ille Euangelicus, febrientis filij pater, Samaritis illa, & ipſi ab illâ Samaritani; & qui denique non, viſis paucis miraculis in Chriſtum non crediderunt? vt adeò nihil ad fidem ſalutiferam conſequendam ſuperſit, multùm verò ad plenam doctrinæ Chriſti cognitionem, ſine quâ multis cælum aperitur, & quæ ſine omnibus fidei articulis conſiſtere nequit. De iſtâ nos inter diſputamus, non vtrum in ſcripturâ ſit ſufficiens ad ſalutem doctrina Chriſti, de quo nemo dubius

eſt;

est; sed vtrum in scripturâ, plena; & perfecta sit, quo ad omnes fidei articulos, doctrina Christi. Hoc nos negamus, tu non probas, maximè ex hac clausulâ, quæ si de doctrinâ posset intelligi, non posset tamen, nisi de articulis in scripturâ contentis, intelligi, illos esse scriptos ad fidem, & salutem nostram, hi tamen, sunt omnes quidem articuli, qui scripti sunt, sed non omnes omnino sunt articuli doctrinæ Christianæ, nam illa etiam non scriptos complectitur.

Controuersia VII.

Vtrum ex his verbis probari possit, non omnes fidei articulos esse scriptos.

POtest. Reclamat Lælius; mirum! & tamen cum audit, hîc à Ioanne signa, quæ fecit IESVS, esse scripta, intelligit, per τὸ signa, etiam Christi doctrinam esse scriptam: si doctrinam etiam arbitratur, per vocabulum *signa* denotari, quomodo omnem doctrinam scriptam reperiet, apud illum, qui fatetur se non omnia signa scripsisse? Vnde hanc oppono rationem.

Istud de quo loquitur S. Ioannes, cap. 20. non est totum scriptum; signa, seu facta, & doctrina Christi, sunt istud de quo cap. 20 loquitur Ioannes. Ergo signa, seu facta, & doctrina Christi, non est tota scripta.

Propositio est Ioannis, asserentis multa alia non esse scripta, in libro hoc. Assumptio est Lælij, me, iam quidem, non diuerso. Conclusio est contra Lælium, sed vera.

Controuersia VIII.

Vtrum S. Ioannes, Euangelium suum, scripserit contra Ebionitas?

HOc aiebam in *Linguario*, cap. 5. §. 2. ex Epiphanio, Hieronymo, Augustino, alijs, nec etiam nunc moueor sententiâ, Lælium enim duntaxat, pag. 25. rationes solidas Lælij, nullas audio. Quid autem Lælius? multa. vt neget ex ratione, S. Ioannem contra Ebionem, aut Cerinthum, stilum mouisse, adfert causas decumanas.

I. CAVSA.

Non nominauit Ebionem, in Euangelio suo, Ergò contra Ebionem Euangelium non scripsit. gerræ, gerræ germanæ. Contra tantam Doctorum auctoritatem non nisi ista? quasi nomine opus, vbi contra rem agitur. fateris ipse pag. 96. ita DEO visum, vt contra errores omnes fidei doctrina extaret: potuit istud, erronum nulla mentione factâ, imò nec errorum, & non potuerit, non nomi-

nominato Ebione, ſcribi contra Ebionem? non eſt vna in hoſtem pugnandi ratio, etiam qui caſtra vallat, in hoſtem pugnat.

II. Cavsa.

Non de ſolâ Christi diuinitate, Ioannes egit. Ergò contra Ebionem non ſcripſit Euangelium. Lepidè nugaris Læli. Sed te, & quoſdam alios oportet eſſe memores. paulò ante dictitabas Ioannem feciſſe epilogum, ſuo Euangelio; quem enimuero illum? hunc mi Læli; hæc quæ Ioannes ſcripſit, ſcripta fuiſſe *vt credamus, quia Ieſus eſt Christus, Filius Dei.* Omnia ergo quę ſcripſit Ioannes pro Christi diuinitate ſcripta erant, pro quâ quidquid ſcripſit, contra Ebionem ſcripſit. Quid negas obſecro? quod paulò ante affirmâſti?

III. Cavsa.

Non complectitur hic articulus, integram fidem, per quam ſaluandi ſumus. Ergo Ioannes non ſcripſit contra Ebionem. Aliam fortunam quærit Lęlius; minus fauentem experitur in Logicâ, Metaphyſicam ſperat clementiorem. verum

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Luna Lælio nulla, niſi quartâ ſplendet. Nimis mi homo Metaphyſicè diſtinguis, ſi Chriſtum

ſtum ſine diuinitate agnoſcis. Chriſtus eſſe non poteſt, & Devs non eſſe; ſuſtulit Chriſtum, qui Devm negauit. Ebionis hæc fuit Hæreſis, nomen ille Chriſti tulit, Chriſtum ſuſtulit. non enim credidit quia Iesvs, eſt Chriſtus filius Dei. Hæc ſumma ſalutiferæ fidei eſt, ab Ebione admorſa à Ioanne defenſa, à Lælio pag. 25. non intellecta.

IV. Cavsa.

Ex ſolâ ſcripturâ, nulla vnquam Hæreſis, ſufficienter confutata fuit, vt teſtantur Ieſuitæ in Colloq. Ratiſb. pag. 203. Ergo Ioannes non confutauit Ebionem. Nec Auguſtinus Manichæos, nec Hieronymus Luciferianos, nec Hilarius Arianos, nec qui ſcripſerunt alij, numero innumeri, Hæreticos ex ſolâ ſcripturâ ſufficienter, & cum optato effectu, refutarunt; ergò contra illos non ſcripſerunt? errores eorum non refutarunt? nugæ. Si libuiſſet verba Ieſuitarum, quæ ego quidem, in meo exemplari, non reperio, accuratiùs penſitare, ipſe tibi Oedipus eſſe poteras. Nulla vnquam Hæreſis faſſa eſt, ex ſolâ ſcripturâ, ſe refutatam fuiſſe ſufficienter, adeò, vt in ſcripturâ non ſupereſſent effugia, ſed victos illico ſubmitterent faſces. Itaque per me licuiſſet tibi eſſe quieto, neque enim indigemus Patre patrato, multo minus Claſſico, doctrina

nostra

nostra firmiùs cohæret, nec tali manu turbatur.

V. CAVSA.

Redit cum eádem lyrâ, tantùm quòd modos illi faciant nunc Iesuitæ. Nullum in scripturâ damnari Hæreticum hiaiunt, nisi nominetur in scripturâ. Exspecto nomina Iesuitarum, libros, & reliquam probationem, vt respondere queam; interea ne videar affectam tuam fidem suggillare, credam illos Iesuitas versari in vtopia, ne putentur nusquam esse.

VI. CAVSA.

Costerus dicit ea litteris testata fuisse à Ioanne de Christo, quæ ad salutem erant scitu omnibus necessaria. Ergò Ioannes non scripsit contra Ebionem. neque enim erat scitu omnibus necessarium, Christum DEVM, & DEI Filium esse? si fuit, cur contra Ebionem scriptum non fuit à Ioanne, à quo de Christi diuinitate totum Euangelium, clausulâ teste, scriptum fuit?

Hæ denique sunt illæ Causæ, non causantes, vt Historiæ, Patrúmque auctoritas, Lælio contradicenti, postponi debeat. Quid Asiæ Episcopi apud Ioannem egerint, peregerintque, solidiùs testantur tanti viri, quàm rationes tam frigidę, friuolæque, quę pedes potiùs, quam aures merentur.

Con-

Conclusio.

Non probauit ergò *Lælius*, ex Ioannis 20. cap. omnes articulos fidei esse scriptos, cum Ioannes de nullo articulo Fidei, à se scripto testetur, sed de solis signis, ex quibus demonstrare voluit, Christum esse Filium DEI, & saluatorem nostrum; nullo modo contexere articulorum credendorum catalogum decreuit, quorum nullam quidem fecit mentionem. Itáque sic de cætero intelligas licet Ioannem, Læli.

Multa quidem & alia (præter ista quæ scripta sunt) *signa* (non doctrinas,) *fecit IESVS* (non docuit) *in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc* (non omnia igitur signa & si per signa subintelligi velis doctrinas, etiam non omnis doctrina scripta est in libro hoc, in quo putas omnia scripta) *Hæc autem* (nec omnia) *Scripta sunt* (in libro hoc, non in alijs libris) *vt credatis, quia IESVS est Christus Filius DEI* (quod negauit Ebion) *& vt credentes* (signis) *vitam habeatis in nomine eius.* Ex miraculis igitur, à me scriptis, volui vos credere, & saluari, quibus ipse Christus Mundo innotescere, & sese, ad fidem, & salutem omnium, hoc modo voluit manifestare.

Iudica

Iudica iam nunc Lector vter nostrum ad mentem S. Ioannis, vter ex vero scripturam hanc intelligat, quàm clara sit scriptura Lælio.

CAPVT IV.

De III. Quæstione 1. capitis Script. Loq. Vtrum omnis Christi doctrina in sacris Biblijs reperiatur?

TErtius hic bolus est, quem granditer grandibo, & ne Lælius possit deglutire, clarè efficiam. Controuersia est inter nos, vtrum S. Lucas Act. 1. vers. 1. affirmet omnem doctrinam Christi, seu articulos Fidei omnes, contineri in scripturâ? his verbis:

Primum quidem sermonem feci de omnibus, quæ cæpit IESVS facere, & docere.

Ait Lælius, ille mirus verborum Dædalus, & interpres; Ego in *Linguarij* pag. 38. negaui. Lælium animant verba, non conscientia; quæ, ô quantùm latrat! causam habet iterum *Clarè loquentem Scripturam*, sat magnam, si veram. Me germana, non verbis cerussata veritas tenet; nam si testimonio Lucæ, articuli Christianæ fi-

næ fidei omnes, ſunt ſcripti, vtiq; ſcripti erunt in Euangelio Lucæ, de quo Lucas hîc ſolùm loquitur; hoc Lucas non teſtatur, teſtaretur enim, etiam omnia facta Chriſti, in eodem Euangelio contineri, eâdem enim phraſi affirmat vtrúmque, ſcripſiſſe ſe *de omnibus quæ cæpit IESVS facere, & docere*, ita vt ſi doctrina omnis ſcriptâ hîc ſit, ſcripta etiam ſint ibidem facta Chriſti omnia, nulla enim ſubeſt ratio, vt quæ eodem nexu prolata ſunt, non eodem ſenſu intelligantur. Quid ad hoc reſpondeat Lælius, quibus reſponſum coronet elenchis, paragraphi ſequentes dabunt.

§. I.

Reſponſum Lælij primum.

NOn multis opus, Lucam, & facta, & doctrinam Chriſti omnem ſcripſiſſe, pag. 28. reſpondet. Subijcio verba

> Nazenriedt ſagt dagegen pag. 28. Lucas habe nicht alles beſchriben/was Chriſtus gelehrt/vnd gethon. Das haiſt den Euangeliſten ſtracks ins Angeſicht ſtreichen/der da klar ſagt: Ja/er habe alles beſchriben/ was Chriſtus von anfang/ biß zu ſeiner Himelfahrt gelehrt/

gelehrt / vnd gethan. Vnnd denen glaubt ein fromer Christ billich mehr / als dem Razenriedt.

Hoc autem dicat Lucas? hoc dicat Lælius? neque Lucas, neque Lælius dicit; Lælius sanè disertè pag. 29. rotundè fatetur, Lucam scripsisse omnia recito verba, & fidem facio.

Das etliche Predi zten vnnd zaichen NB. in anderen Euangelisten / welche in Luca nit stehn: Ist wahr.

Itane verò? túne ille es, qui S. Lucæ alapam ducis? negas profectò Lucam omnia Christi facta perscripsisse. Quid Lecter trepidas? scriptura *Clara* est, ex quâ Lælius ait Lucam omnia facta Christi scripsisse, & quædam non scripsisse. Parcite astra matutina, præ hoc sole, vos tenebrescitis. Quid cessas vncis indulgere naribus Lector? non vides in quas te tenebras illectet Lælius? inconstantiam hominis non audis? ait pag. 28. Lucam omnia facta Christi, ad vsque reditum in cælum descripsisse; pag. eâdem & sequente, ait quædam facta Christi Lucam non scripsisse; adeoque non omnia facta Christi scripsisse. Veritasne, an potiùs falsitas bilinguem faciat Lælium, ex facili dispicies: hæret bonus vir in sale-

brâ ſaucius, vellet Lucam quæ fecit Chriſtus ſcripſiſſe omnia, debet enim, nec aliter hinc poteſt, probare, Lucam ſcripſiſſe omnia, quæ docuit Chriſtus. Non audet iſtud Lucæ affingere, clara obſtat Veritas, audet tamen; mauult enim duplici, quam ex vnâ causâ fictor, & victus, erubeſcere.

Verte iam nunc folium Læli, & canta, das haiſt den Euangeliſten ſtracks ins Angeſicht ſtreichen/ ſi vapulat Lucas, alterutrâ interpretatione, abs te vapulat, tu ais illum omnia ſcripſiſſe, tu idem negas illum omnia ſcripſiſſe. Inter ſacrum, ſaxumque ſtantis iſta eſt vertigo, mentiſque eurippus, nullum ad meum argumentum hîc reſponſum: pila igitur adhuc mea eſt, rectè intellecti Lucæ.

§. II.

Alterum Lælij reſponſum.

Nobis hîc actionem de ſignis non eſſe, ſed de doctrinâ; tametſi ſigna in Lucâ non reperias omnia, inuenies tamen in illo omnem Chriſti doctrinam. Hæc pag. 29. Lælius. Compendiosè hoc eſt ex ictu exire velle; non ſino, mi homo, teneris; nobis hoc loco actio de verbis Lucæ inſtituta eſt, tu in illis vides omnia, ego vero non omnia video;

deo; veritatem itaque inquirimus, phrasis vna, nulla exceptio, nullum in Lucâ discrimen, planities mera, cur sit in intellectu diuersitas, nullo indicio significata? quia Lutheri, Lælijque doctrina, sub cultro est, & animam agit? non potestis aliter omnes articulos fidei in scripturâ contineri, ex scripturâ docere, nisi Lucas dixerit, se *de omnibus* id est quædam *quæ fecit*, & omnia *quæ docuit scripsisse*. Angustiæ ergò tibi sunt vndique, in medio luto hæres, nec manum vides; quis enim manum tanto scripturæ sacræ corruptori?

§. III.

Tertium Lælij responsum.

OMnes omnino fidei articulos summatim, aut aliquomodo contineri in Actis, & Euangelio Lucæ, in Matthæo, & Marco insuper, ad quorum scripta respexit Lucas 1. cap. Adde obsecro & Ioannem, & Pauli Epistolas, non efficies tamen, vt in *primo sermone quem fecit de omnibus quæ cœpit Iesus facere, & docere*, omnes articuli fidei contineantur. Tantum in primo sermone Lucæ, quem citas, seu in Euangelio illius, quærimus omnia illa, quæ fecit, quæ docuit Iesus. Actio nobis non de Actis, minùs de alijs est: sensum horum verborum inquirimus, v-

trum Lucas dicat, ſe in primo ſermone, omnia facta, omnem Chriſti doctrinam ſcripſiſſe. Hoc negamus nos, tu ex Actis, & aliorum ſcriptis, multa dicis, nihil probas. Etiamſi totum Noui Teſtamenti Canonem conſcripſiſſet Lucas, doctrinam Chriſti in illo reperires, totam non reperires. Quid autem eſt quod articulos pręcipuos, omnes ſummatim tantum, & quaſi in fundamento, apud Lucam quærendos dicis? concedis vtique minùs principales articulos, & illos ipſos pręcipuos, vel non eſſe, vel ſtrictim, & non clarè, in Lucâ reperiri? facis quod ſolent iniquę, & timidæ mentis, lepores galeati, & qui magni haberi, parui eſſe volunt; ſuſpendis hęderam, dolijs vel vacuis, vel auſtero habitatore dolentibus. Nos talia non expectamus, audire geſtimus argumenta, quibus probes articulos fidei omnes, clarè, in Scripturâ Lucæ contineri, ſiue præcipui ſint, ſiue poſtremi, puſilli, vel magni; ita inter nos conuenit. Niſi Pręicans eſſes intra iſthæc repagula te contineres.

§. IV.

Reſponſum quartum Lælij.

S. *Ioannem per libros, quos Mundus capere non poſſet, intelligere non multitudinem librorum, ſed difficultatem: fore enim libros quàm multi, paucinè ſint intel-*

intellectui, & memoriæ humanæ impares. Ita Lælius, vt omnia signa Christi scripta tueatur. Multùm dixit Ioannes, si hoc dixit. Nec sapientes ac prudentes, à quibus Deus abscondit, nec Mundus, vtpote Carnalis, intelligit, & capit quam Spiritus Sanctus dictauit, & scripserunt Apostoli: potuerunt isti libri scribi, scripti enim sunt, cur reliqui, cum non tam multi sint, non æquè possint scribi! par est in scriptis, & scribendis intellectus difficultas, si hanc intellexit Ioannes nihil noui dixit, frustra scribi posse negauit, ob hanc difficultatem, quam in iam scriptis superatam fuisse, non ignorauit. Credibilius ergò est multò, Ioannem de multitudine librorum locutum, Lęlium affectum, & errorem suum secutum, loquentem non intellexisse.

§. V.

Lucam non omnem Christi doctrinam scripsisse.

PErseuerat Lęlius hanc suam sententiam, & S. Lucam perscripsisse omnem Christi doctrinam, omnes omnino fidei articulos, affirmatè definit. Ducamns calculum, & rem ipsam loqui sinamus, vt S. Lucam omnia loquentem, certiùs intelligamus, Vbi ergò legis Lęli, in Lu-

câ, Deum Patrem esse creatorem cæli, & terræ? vbi legis per Verbum omnia facta esse, & sine illo nihil? vbi legis Christum ad inferos descendisse? vbi legis Spiritum sanctum docturum omnem veritatem, & nihil præter illa, quę Christus inter viuos agens Apostolis tradidit? vbi Spiritum sanctum legis esse Deum? vbi legis in Lucâ esse scripturam sacram Noui Testamenti in Ecclesiâ? vbi legis illam tot, & non pluribus libris contineri? libros illos esse Verbum DEI. Vbi legis in Lucâ Euangelium S. Ioannis esse Verbum DEI, quod Lucas nunquam vidit? Sexcenta talia non reperies in Lucæ Euangelio, seu primo ipsius Sermone, in quo dicis scripta esse omnia, quę docuit Iesus seu quæ credenda sunt. Habes ergò fidei articulos, & quidem principes, excute Lucam, quid produces? in Lucâ non omnes fidei articulos reperiri, te nihil probasse, te scripturam arbitratu tuo interpretari, te homines à verâ Christi doctrinâ, tam friuolis de causis, abducere, decipere, perdere.

Conclusio.

HAbes iterum, Lector, solidum, & Marpesiâ firmiùs caute, fundamentum, Scripturam *clarè tacentem*; omnes fidei articulos, in scripturâ contineri, nusquam loquentem; si quidem

dem illos, in Lucæ Euangelio, quærere oportebit, ad quod nos amittit Lælius: qui cum fateatur clarè Lucam non omnia ſcripſiſſe, quæ fecit Ieſus, quomodo perſuadebit Lucam teſtari ſe omnia quæ docuit ſcripſiſſe?

Deinde, cum res loquatur ipſa, multos fidei Chriſtianæ articulos in Lucâ deſiderari, quomodo diceret Lucas ſe omnes ad vnũ ſcripſiſſe?

Denique cum Lucas non dicat ſe omnes, nullo dempto, Euangelio ſuo inſeruiſſe articulos, quomodo ex illo probat Lęlius omnes eſſe ſcriptos, Lucam hoc teſtari? Nullo. Quid ergo iſta talia comminiſcitur? an quia aliter cauſæ ſuæ patrocinari nequit? honeſtiùs tacuiſſet.

Capvt VII. & VIII.

De 4. quæſt. cap. 1. Script. Loq. *Vtrum Spiritus ſanctus, docuerit Apoſtolos, quod Chriſtus illis non tradiderat?*

Clarè loquentes Scripturas Lælius pag. 32. cap. 7. adfert quas, quia merebantur, in Linguario exploſi, non erant diuinæ, ſed Lælianæ, Lælianis erroribus fermentatæ. Quid autumas Lector, nunc in *Claue* ſuâ, reſponſurum Lælium.

Nihil humilè à Delphis exſpecta, magna loquitur cui turbata nunquam Sibyllæa verbantur folia Non poteſt non eſſe certus noſter Lælius, nam omnis conſequcntiæ impatientem Scripturæ claritatem, in conſilio habet; quâ aduerſa quæque, velut ſol nebulas, diſijcit, & extra ius, ditionemque fortunæ errantis poſitus, hoſtem nec habere poteſt. Itaque ſui certus, ac ſecurus, pag. 33. non quidem ad Garamantas, ſed ad Chriſtum me remittit, cum illo compugnare me iubet, eius me verbis, non ſuis dicam ſcripſiſſe opinatur. Sed quia ego verba Chriſti, ſine ſenſu Chriſti nulla agnoſco, redeo ad verba Lælij, & rectè me reſpondiſſe in Linguario malè Lælium in *Claue* paragraphis ſequentibus oſtendo.

§. I.

Examinatur reſponſum Lælij ad v. 13. Ioan. c. 16. Non loquetur à ſemetipſo. Sed quæcúnque audiet loquetur, &c.

RIdiculariam argumentationem, quâ ex his verbis, Scriptura Loquens, deduxit, Spiritum ſanctum nihil aliud docturum, nihil aliud à Chri-

à Christo auditurum quàm quæ iam ipsi antea, à Christo audierant, doctíque erant Apostoli, in *Linguario* pag. 36. & 63. ad Latomias Dialecticas, & Pontificum Logicorum operas ablegaui: quasi verò is, qui loquetur quæcúnque audiet, non possit audire, illis, ad quos loquetur, inaudita? quasi verò auditurus sit tantùm alijs iam audita? aut inaudita tacere sit cogendus? Adhæc in *Claue* suâ, grauidam responso, gerit linguam, Lælius; obsecro, Lector, auscultemus. Ait pag. 33. *consecutionum mearum obiectiones non ad se, sed ad Christum ipsum spectare*, cuius claris verbis scilicet repugnent. Succincta responsio, Lælius enim verborum est vir paucorum: non tamen ideò proba. Verba Christi apud Ioan. 16. hæc sunt *quæcunque audiet loquetur* audiet autem quæ Apostoli à Christo audierunt, vt explicet, audiet quæ illi à Christo non audierunt, quia portare non potuerunt, vt omnem veritatem doceat, Ergo loquetur Apostolis audita, & inaudita. Si rectè tua dicta penetro Læli, videris aut Christo dictanti frænos indere, vt dictare alia, quam Apostolis iam dicta, non possit, aut Spiritui sancto docenti, ne aliud audire possit. ô bellè aliás Traditiones inualescerent. Quid si autem potiùs contra illa Christi verba peccârint, obiectiones meæ, quibus dixit, *Ipse de meo accipiet*. Neque hoc o-

§. II.

Examen Læliani responsi ad c. 14. Ioan. Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia.

CLaram iterum Ioannis sententiam obscurat Lælius, pag. 36. docet ex illâ iterum, tantùm ea docturum, & suggesturum Spiritum sanctum Apostolis, quæ ipsos ante reditum in cælos docuerat Christus. Respondi in *Linguario* pag. 36. & 63. Scripturam nusquam addidisse *tantùm*, quæcúnque Christus Apostolis dixerat, docebit, & suggeret, & præter illa, etiam alia. Sed *Clauis* illa ter maxima, officium non fecit, non reclusit hanc meam, quâ Lælium constrinxi, conclusionem; adhuc tenetur, & *Claram* tantùm inclamat scripturam: quàm claram autem? claram agnoscerem sanè, si testaretur, *Ille vos docebit* tantùm illa *omnia, & suggeret vobis*, tantùm illa *omnia, quæcunque dixi vobis.* Hæc si in scripturâ legeret, cristas meritò tolleret, merito claram inclamaret scripturam; cum hoc Ioannes non scripserit, à clauarijs Dialecticis opem flagitet Lælius, vt clauem aliam, infidæ suæ claui, succenturiare queat; aliter sanè, imò nec Logicâ opitulante, conclusiones meas non recludet: quàm parum enim qui Lælium pran-

suru

pransurum olus dicit, negat alijs quoq; pascendum edulijs, tam parum Christus, cum ait, Spiritum sanctum docturum omnia, & omnia suggesturum, quæcunque Apostolis dixerat, negat docturum, suggesturúmque alia. Itáque neque hîc, ad claram scripturam iure prouocas, effugium hoc modo quæris non resignas responsum.

§. III.

Responsum Lælij ad Ioan. cap. 16. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.

LIs hîc est, vtrũ illa *Multa* quæ Christus negat se Apostolis dixisse, sint etiam articuli fidei, an verò sola articulorum fidei explicatio? hoc vult omnino Lęlius, ego alterum. Lęlium clara iterum armat Scriptura, & propria auctoritas, nihil præterea, nec in *Claue*, nec in *Scripturâ Loquente* lego; atque adeò nullus in hac doctrinâ neruus inest; nec clara enim Scriptura hoc dicit, nec auctoritas tantilla me mouet, vt assentiar, temerè dicenti, *Multa* illa tantùm esse explicationem, iam notorum articulorum, nullum in ijs nouum, & Apostolis incognitum articulum, intelligi debere. Multò verò propiùs est,

est, absque discrimine pronuntiata hæc verba, fidei articulos non exclusisse, illos enim vtique minùs portare potuerunt Apostoli, quàm eorum duntaxat explicationem. Et si Christus explicationem captu longè faciliorem, ob difficultatem importabilem reticuit, quis credat fidei articulos ipsos, explicatione suâ vtique difficiliores, tradere Apostolis voluisse? Accedit ipsius modi loquendi, ac connexionis non obscurum argumentum; quid enim illud adhuc multa habeo, quàm præter hos quos iam vobis & dixi, & explicaui, fidei articulos, superesse alios adhuc istis difficiliores, suo tempore à Spiritu sancto tradendos? quid sibi etiam vult Spiritum sanctum docturum, omnem Veritatem? quid illa est Veritas? vtique qualem & Christus docuit? fidei scilicet dogmata? Certè in solam ista deriuare explicationem articulorum fidei, Scripturam est nimiâ violentiâ torquere, cum præsertim non desint, non pauca fidei dogmata, ante Christi in cœlos reditum Apostolis nusquam significata, quod capite sequēte docebo.

Perpende nunc Læli quando hæc Scriptura sit clarior, cum mecum supponit, significatq; *Multa* illa non esse meram explicationem, articulorum fidei, Apostolis inauditam, sed etiam articulos nunquam auditos; an quando tecum hoc negat, sentitque contrarium? tu enim vt-

con-

contrarium euincas, præter tuam opinionem, & nullam in ſimilibus auctoritatem, pondus nullum habes; vt improbes noſtra, cogeris à dogmatibus fidei explicationes ſeiungere, quod non facit Scriptura; inter Veritates, de quibus hîc Chriſtus, ſtatuere diſcrimen, quod non facit Scriptura; ab ijs quæ portare non poterant Apoſtoli excludere difficiliora, & pro ijs ſubſtituere faciliora, quod non facit Scriptura; Improbabiliter iſta omnia ex Scripturâ, probabiliter contra Scripturam.

§. IV.

Reſponſum Lælij ad rationem contrariam Scripturæ à ſe explicatæ.

MIram in me fabam cudere adgreditur, meus Prædicans, ne cogatur reſpondere, ad rationē ad quam reſpondere iterum non poteſt. p.36. *Linguarij* cōtra tam pertinaciter negantem, noua, & inaudita dogmata accepturos à Spiritu ſancto Apoſtolos, obieci;

" *Quis, oro te, hos Chriſto indidit frænos, vt alia*
" *fidei dogmata, Spiritui ſancto dictare in*
" *cælo non potuerit, quàm quæ, in terris a-*
" *gens, dederat Apoſtolis?*

Cum

Cum ille pag. 37. *Clauis* suæ rugare frontem, indignari, quiritari quasi iniuriam Spiritui sancto XX. æris non expiabilem dixerim. Eugepetam fragilis res apud te est gratia? quod meorum verborum omen habet? ostende piaculum, vel talionem exspecta. Fraudi mihi est dixisse Christum in cœlo dictare Spiritui sancto posse, alia, quàm in tertis dixerit Apostolis, dogmata. Eáne propter fumat Neptunia Troia? aut quęnam ideò armatos Iuno lacertos vibrat? Spiritus sancti Maiestatem nefario cursu temerasse me dicis. quo pacto mi Læli? quia hac ratione, amanuensis instar, cœlesti mensæ affixus, Christi dictatoris nutum præstolabitur Spiritus sanctus. Infanda res, diuinam ita Maiestatem contemni! Ita sanè, rectè Lucianus, patriæ fumum, igni alieno luculentiorem ait, nam cum

Nemo in sese tentet descendere,

Aliena præ nostris censere, nostra etiam defendere, solemus. Inquiramus in sacrilegiū. Criminis læsæ maiestatis diuinæ, reus est, qui Spiritum sanctum pro tabulario habet; Lælius habet illum pro tabulario, reus ergò est læsæ diuinæ maiestatis. Assumptionem ex verbis, & definitione ipsius Lęlij ostendo. ille pro tabulario Spiritum sanctum habet, qui dicit illum audita à Christo dictante excipere, & ad Apostolos deferre, hoc nomine siquidē pag. 37. me

cauil-

cauillatur: Lælius autem dicit, Spiritum sanctum audita à Christo, ab æterno dictante, excepisse ab æterno, & ad Apostolos in tempore detulisse, pag. eâdem Lælius igitur Spiritum sanctum habet pro tabulario, seu Scribâ, quod ipse contrarium esse Maiestati diuinæ confitetur. Et paruum hoc, in diuinam Maiestatem, crimen est, immanè auctarium à Lælio accipit. Spiritus illi sanctus, merus in Ecclesiâ interpres est, nullum fidei dogma ferre, referre iam lata, & Apostolis nota, tantùm potest, & explicare. Quin ipsi etiam Christo, violentis infestus est manibus; ius illi, potestatemq;, noua fidei dogmata, Apostolis inaudita condendi penitus adimit. O illiberalis, si non athei animi doctrinā! itane de Deo tam parcè, tam sordidè? quis tam ampla fluminis istius spatia desiccauit Xerxes? exhaustane est Dei potestas, & prouidentia? Lælio Doctore, qui vt cum suo Luthero, contra *Traditiones*, & Ecclesiam multùm possit, non refert Christum, ac Spiritum sanctum minùs posse. Nobis liberior & calamus, & animus. Christum omnia Apostolis nota fecisse omnino, negamus, nec erat eos scire omnia necessum; ius illi per nos integrum est, non tantùm si velit noua fidei decreta statuendi, sed nouam etiam si videretur, legem. Sed ad propositum reuertamur.

Eſt aliud inſuper in verbis meis, vnde opinio Lælij vritur; Chriſtum dixi poſt reditum in cœlum, Spiritui ſancto dictare poſſe, magnis ideo paſſibus Theologica ingreditur adyta, nec videtur reperire poſſe alium quàm æternum æterni auditoris dictatorem. Ego tamen & iſta non neſcio, & non tantùm cum communi Doctorum loquendi modo, ſed cum ipſa clarâ quidem Scripturâ loqui pergo. Spiritus ſanctus, ſcripturâ teſte, à ſemetipſo non loquetur, vnde igitur? *De meo accipiet, &, quæcunque audiet loquetur.* cuius τὸ *accipiet, audietque*, ſit temporis Grammatici iudicent, ego alteri foro ſeruio, in quo ſi rectè ſcriptura locuta eſt, non rectè ijſdem verbis loquentem, Lælius reprehendit, ſaluâ namque diuinâ Maieſtate, Spiritus ſanctus à Chriſto quæ docere Eccleſiam miſſus eſt, accipit, ſiue acceptio illa per verbum præſentis, ſiue præteriti, ſiue futuri temporis deſcribatur. Auguſtinum quem pag. 38. citas, audi loquentem meis verbis, mea verba explicantem, & auſer de cætero, non neceſſarios labores, habes ad quæ reſpondere debeas, iſta non omitte.

Conclusio.

NOn poteſt ergò dici probabiliter,n
clarè, Spiritum ſanctum, tantùm
cere Eccleſiam, quæ Apoſtolis à Chri
dum in terris ageret tradita fuerunt. I.
in nullâ Scripturâ, hoc *tantùm* exprimi
ſubintelligitur. II. Nulla proba conſ
tia, illud *tantùm* è Scriptura educit; na
cunq; audiet loquetur nō concludes Ergò
audiet Apoſtolis iam audita. *Docebit vo*
Veritatem. Ergò tantùm Apoſtolis iam au
Docebit omnia, & ſuggeret omnia quæcunq;
dixero vobis. Ergò nihil præterea? O cac
conſequentiarum, nec ſemiunciam hab
alecticę. III. In Maieſtatem diuinam
tæo pugnat faſtu, hæc Scripturæ præpoſ
terpretatio: cœli condita exhaurit, diuin
manus, vt nec vnicum nouum fidei Chr
dogma, neque Chriſtus, neque Spiritus
ferre poſſint. IV. Conſtat eſſe articulo
de quibus nulla Scriptura teſtatur, Apo
Chriſto viuente, vnquam traditos fuiſſ
quibus cap. ſequente, Lęliana ergo ſc
interpretatio, corruptio eſt ſcripturæ, n
denda, quia extra Scripturam.

Ad hęc, & id genus alia, reſpondet
ue ſuâ Lęlius, conſequentias meas, ad

pertinere, esse contrarias clarę Scripturę. Non egemus ergò deinceps Oedipo, Dauus posthac poterit ad omnia respondere.

Capvt IX.

Omniane Christus Discipulis nota fecerit, quæ ad sui cognitionem spectantia à Patre audiuit?

C. Iulij Cęsaris fortunam hîc subeo, nutantem, trepidatione signiferi, aciem corrigentis; nam cum Martiæ Legionis Aquiliferum, ineundę fugę gratiâ iam conuersum videret, accurrit, apprehensóque faucibus, vultúq; retorto, *quorsum*, ait, *tu abis? illic sunt cum quibus dimicamus*. Lęlius, in ipsâ huius capitis inscriptione, fugam adornat, verbis principio anceps, luce indiget: immiscet necessaria scitu ad salutẽ: Heus fugitor, non sunt hęc de quibus dimicamus, quęrimus in nostrâ disputatione, omnes omnino articulos fidei, in scripturâ clarè expressos, adeoque omnia ad plenam salutiferę Christi doctrinę cognitionem necessaria, à Deo Patre audita, & Apostolis notificata; nam ad salutiferam, quâ caput hoc inscribis, Christi cognitionem, paucis opus esse, latro è cruce, ad beatas sedes euolans, testatur. Itaque resiste,

non fuge, nam Christum omnia qu
Patre, ad fidelium suorum salutem
inchoandę Ecclesiæ, absolutè neces
stolis nota fecisse, non negamus, o
no ad plenam doctrinæ Christian
nem, & Ecclesiam vniuersim absol
saria, Apostolis tradita à Christo, e
gamus.

At dicit hoc clarè Christus, Ioa
stum, mi bone, intelligis malè. N
stus clarè non dicit, se omnia, id est,
articulos, Apostolis reuelâsse, quos
diuit à Patre, nullo penitus dempto
cit quosnam ex ijs, quos à Patre au
Apostolis fecerit, vnde vel omnes
omnes ad Ecclesiam vniuersim, ve
Ecclesiam inchoandam duntaxa
intelligi possunt, atque adeò inter
Scripturę sensus, quæ claritas? II.
tùm non clarè, sed neque per cons
educes, ex his Christi verbis, apud I
quæcunque audiui à Patre meo nota feci vo
omnino ad totius Ecclesiæ decursu
Ecclesiam vniuersim, vsque ad C
nem sæculi, pertinentia Apostolis à
tificata; si enim quæcunque Christu
Patre, nota fecit Apostolis, quomo
fecit, quæ portare non potuerunt?

audiuit? si audiuit, quomodo Spiritui sancto, doctrinam omnis Veritatis, ad Ecclesiam spectantis, reliquit? III. Reipsâ sunt articuli fidei, quos nulla Scriptura testatur, à Christo Apostolis patefactos; ex quâ igitur causâ, omnia omnino nota facta Apostolis credemus, quæ Christus audiuit à Patre, & non potiùs omnia illa tantùm, quæ portare tunc quidem potuerunt? Atque istud quidem doceri cupit Lælius, docebo accuratè, de tribus in *Linguario* obiectis articulis, nam de fatali, orbis in cineres ituri, catastrophe, Apostolis patefactâ, nihil attinet dicere, ipse Lælius agnoscit, non omnia omnino, quæcunque audiuit Christus à Patre, nota facta Apostolis, sed solùm ait, omnia ad Ecclesiæ decursum spectantia, ad quam tamen ipse vtique Ecclesiæ, in cælum è terris abituræ, dies, etiam pertinebit.

§. I.

Vtrum à Christo didicerint Apostoli locum Iudæ proditoris, explendum esse, non autem Andreæ, Ioannis, aliorumq;?

EXcute, Lector, omnia Christi, ac singula, quæ ab ipso, ante suum in cœlos reditum, dictáque,

dictáque, factáq; sunt, nihil reperie
& tamen pag. 46. Lælius asseueratè i
probat etiam; vide sis quid libido hor
râ Christi doctrinâ auertendi, non
probat ex Scripturâ Veteris Testam
autem obsecro? mirum sanè si ibi re
monium, Christum cum inter viuos
cuisse Apostolos, vt post Iudę suspen
viratum explerent post necem Andı
rum non explerent. Non probat ho
num exspectabam, probat tantùm
lum fidei, locum illum alteri dand
ipsum tamen ego, clarissimis verbis,
pag. 36. *Linguarij*, affirmabam. Mi
quærimus nunc articulos fidei in Scı
teris Testamenti, sed in solo Euange
Noui Testamenti libro, hunc articul
sto viuente Apostolis propositum fu
quid respondisti?

I. Responsum.

Pag. 46. ad doctrinam Christ
traditam, ante Ascensionem, addit
terium Dauidicum, in quo Christ
inscripti leguntur psalmi. Sudat en
Prædicans in hoc arguměto, videt E
tacere hunc articulum, ideo Christu
in Nouo audire non potest, audit in

ſtamento Apoſtolis dicentem *Et epiſcopatum eius accipiet alter.* Quid ergo reſpondet? Chriſtum antequam eſſet natus, in Bethlehem Iudæ, dixiſſe Petro, & Andreę, nondum Apoſtolis, Iudæ ſuſpenſi locum, complendum eſſe; nam antequam naſceretur Chriſtus, & Pſalmus iſte, & Petrus erat. O fumi, fumi meri!

II. Reſponſum.

Animaduertit ipſe Lælius nutare hoc reſponſum, aliud igitur ſuccenturiat, ex Lucâ, ex quo certus eſt, Chriſtum Emmauntinis peregrinatoribus, Scripturas interpretantem, monuiſſe quoque de Iudâ: nimirum, intererat illorum, nôſſe comitia eſſe agenda, cauſam, & euentum eorundem; neq; enim ignorabat Chriſtus, hos duos illos eſſe, ad quos ſenatum cogere, & ſenatus conſulta publica re ſpectabat; hoc imò ſolum requirebat viatorij illius colloquij ſumma: hoc clarè Lucas ipſe teſtatur, apud quē Chriſtus, *interpretabatur illis, in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant.* Nunquid enim Scriptura de Iudâ non eſt de Chriſto? vtique. Sed multæ hac ratione ſunt Scripturæ, & multa nimis dicendi materia, ſiquidem omnes de ſe Scripturas, interpretabatur, quæ aliquo ad ſe modo ſpectabant. Perſuaſiſti mihi Læli omnes omnino articulos fidei eſſe clariſſimè in Scripturâ, ſi perſuaſeris,

suaseris, vt credam, in hoc Colloquio, de loco Iudæ fuisse actitatum. Quin pari ego licentiâ, pari saltem auctoritate dicam, in eo Colloquio edoctos à Christo discipulos, de purgatorio, è quo, sicut è Lutheri *Scheolach*, captiuam eduxit captiuitatem. Non credis mihi Læli hunc articulum fidei à Christo hîc traditum? nec ego tibi, de Iudæ loco complendo, credam; eodem enim es vsus genere argumenti.

Cedo itaq; claram scripturam Læli, Christum hunc fidei articulum de successore Iudæ Apostolis tradidisse, antequam ad Patrem rediret: hoc in *Linguario* postulaui, hoc in *Claue* tuâ non reperio: Articulum ergò fidei, Apostolis à Christo non notificatum, habemus.

§. II.

Circumcisionem mortiferam nunc esse, articulus Fidei est; Apostolis à Christo viuo reuelatum esse, ex Scriptura doceri non potest.

LOquar, Læli, vt me videas, vel certè visum non fugias. quæstio est de Circumcisione: hanc ego vsurpanti non tantùm non prodesse, sed obesse, ac mortiferã esse aio, tu negas, p. 47.

Ad

Ad pulpitum ergò mi Læli, disces vt video prima Christianæ doctrinæ rudimenta, Circumcisionem, vim perdidisse, nec sine peccato more antiquo vsurpari posse: nam errare in fide, est Mortiferum; vsurpare circumcisionem ex lege rituq; Mosaico est errare in fide; de fide enim est, vim circumcisioni nullã amplius inesse, Ergo vsurpare Circumcisioně, hoc modo, est mortiferum. Sed quid tibi cum consequentijs? Accipe ergo scripturam, non vt tu somnias tacentem, sed tantâ claritudine clarigantem, vt crassissimas etiam in aures, penetrare se possit. Audi Apostolum ad Galatas 5. v. 2. *State*, ait, *& nolite iterum iugo seruitutis contineri, Ecce ego Paulus, dico vobis* (tametsi neget Onoldinus Propheta) *quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*. Mors in olla Læli; circumcidere nonne est occidere? *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratiâ excidistis*. v. 4. Est sanè circumcisio Iudaismi professio, vt non iniuriâ, hoc loco, Apostolus dicat, *Testificor autem omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est, vniuersæ legis faciendæ*; obligat ergò circumcisio, de quâ loquimur, ad illicita. Hæc Galatis Paulus, non Iudæis, sed Christianis, circumcidere se tamen gestientibus, cur inhibuit Apostolus? cur circumcisis nihil profuturum Christum prædixit? nec dum mortem vides, in circumcisione, Læli? Chri-

ſtianus cui nihil prodeſt Chriſtus, mortuus eſt Chriſtianus, Baptiſatus circumcidens ſe, eſt Chriſtianus cui nihil, prodeſt Chriſtus; Baptiſatus ergò circumcidens ſe, eſt mortuus Chriſtianus. Fidei igitur articulus hic eſt, Circumciſionem vſurpanti Chriſtum nihil prodeſſe, ſeu Mortiferam eſſe. Vbi legis in Scripturâ Lælij, à Chriſto viuo, inter Apoſtolos hunc articulum fuiſſe auditum? nuſquam. Da victas igitur manus, vel, quod malo, intellectum.

§. III.

Suffocata, Idolothyta, ſanguinem, præcepto diuino prohibita fuiſſe, eſt articulus Fidei, Apoſtolis ante decretum Act. 15. ignotus.

CONtra Lælium; qui, ne debeat oſtendere in Euangelio vel ex Clarâ Scripturâ cogatur probare, Chriſtum hæc Apoſtolis antequã in cœlum reciperetur, nota feciſſe, audacter, omni fronte poſitâ, negat, eſſe articulum fidei, Suffocatis, Idolothytis, ſanguine veſci, fuiſſe legi diuinâ inconceſſum Chriſtianis. Cauſam habet, quia deſitum eſt, in Eccleſiâ id obſeruare. Non mouet me hæc rationis imago, Lælî, deſiêre multi articuli fidei, Lex ipſa, & Synagoga, quot,

quot, & quàm varij cum illâ Fidei articuli? De fide etiamnum eſt, Circumciſionem articulum fidei fuiſſe, quo credendum erat, illam pro ſigno filiorum Abrahæ datam, vſurpandamque fuiſſe. Circumciſio abrogata eſt, & ſolùm creditur iam, fuiſſe ſalutiferam. Sed quidquid demum ſit, Scriptura teſtis eſt abſtinentiam ab imolatis, ſuffocato, & ſanguine, præcepto diuino vetitis, præceptam, & ad ſalutem neceſſariam fuiſſe. Æterna hæc auctoritas eſt; ita *Viſum eſt Spiritui ſancto, & Apoſtolis, nihil vltra imponere fidelibus oneris, quàm hæc neceſſaria.* Et non ſit de fide, quod *Viſum eſt Spiritui ſancto, & Apoſtolis, imponere fidelibus?* Quidquid Spiritus ſanctus Eccleſiam docet, eſt de fide credendum; à ſuffocato, ſanguine, Idolothytis eſſe abſtinendum, Spiritus ſanctus docuit Eccleſiam; Ergo ab his eſſe abſtinendum, fuit de fide credendum. Crediderunt profectò à Spiritu ſancto dictatum, hoc in Eccleſiâ præceptum, ipſi Apoſtoli, teſtem Lucam habes, audis ipſos loquentes, *Viſum eſſe Spiritui ſancto.* & tu neges articulum fidei fuiſſe, damnatam ob Eccleſiæ ſtatim exortu extitiſſe, ſanguinis, ſuffocatorum, imolatorúmque gulam? Nulli tunc in totâ Eccleſiâ Idolothytis, ſuffocatis, ac ſanguine veſci, poſt hanc legem, permiſſum fuiſſe, conſtat; nam legem Iudæis, & fidelibus Veteris Teſtamenti latam, Ec-

clesia Christi recepit, ideoque etiam Gentiles à falso atheorum cultu Deorum, ad veram Christi Ecclesiam traductos ad eandem legem obligabant, hoc decreto Apostoli, & Spiritus sanctus. Hac de causâ, decreti hęc verba, legis, Leli; *visum est nihil vltra imponere vobis oneris* (Legis scilicet Mosaicæ quam S. Petrus eodem cap. & ipsis, & Patribus grauem, proscribit) *quàm hæc necessaria.* cur necessaria? quia abrogatis alijs eiusmodi legibus, istam in Ecclesiâ Christi retentam voluit Spiritus sanctus ad Idolomaniam omnem detestandam, & vitanda Scandala. Et quamuis ad tempus durârit hæc lex, lege diuinâ tamen interdicta Idolothyta, suffocata, & sanguinem, ad tempus credendum, abstinendúmque fuisse, negari non potest. Nisi dicas Læli, in Emmauntinâ Scripturarum explanatione, Discipulis, etiam hunc articulum, de non vsurpandis Idolothytis, suffocatis, ac sanguine, innotuisse, à Christo; vel dicendum tibi erit, Christum à Patre, istum non audiuisse, vel non omnia à Patre audita, Apostolis nota fecisse.

Conclusio.

ERrat igitur, & decipit, Lælius, Ioannem 15. cap. de omnibus articulis fidei explicans; sicut enim Christus, non omnia omnino quæcunque

cùnque audiuit à Patre, nota fecit Diſcipulis, quod ipſe rectè fatetur, pag. 45. ita non omnes omnino fidei articulos, Apoſtolis à Chriſto notificatos, ſed eos ſolùm, quorum notione tunc, ad inchoandam Eccleſiam, indigebant, ex Ioanne colligi poteſt; tum quia omnem reliquam veritatem docturus erat Spiritus ſanctus, quam ipſi, adhuc viuente Chriſto, portare non poterant; tum quia reipsâ ex nullâ Scripturâ oſtendi poteſt, hos tres articulos, (vt reliquos infra allegandos, in nullâ penitus Scripturâ repertos, omittam) à Chriſto, Apoſtolis, dum inter illos moraretur, ſignificatos. tum denique quia nullâ ſolidâ ratione hæc interpretatio, ſed in ſolo Lælij cerebello, conſiſtit. At huius nos cerebri filias, non adoramus, miramur tamen talia monſtra impunè generari, & in pretio eſſe poſſe, mucus enim eſt, non Minerua.

PARS

cauillatur: Lælius autem dicit, Spi
ctum audita à Christo, ab æterno di
cepisse ab æterno, & ad Apostolos i
detulisse, pag. eâdem Lælius igitur
sanctum habet pro tabulario, seu Sc
ipse contrarium esse Maiestati diuin
tur. Et paruum hoc, in diuinam Ma
crimen est, immanè auctarium à Læ
Spiritus illi sanctus, merus in Ecclesi
est, nullum fidei dogma ferre, refer
& Apostolis nota, tantùm potest, &
Quin ipsi etiam Christo, violentis
manibus; ius illi, potestatemq;, noua
mata, Apostolis inaudita condendi
imit. O illiberalis, si non athei anim
itane de Deo tam parcè, tam sordidè
ampla fluminis istius spatia desiccau
exhaustane est Dei potestas, & pro
Lælio Doctore, qui vt cum suo Luth
Traditiones, & Ecclesiam multùm pos
fert Christum, ac Spiritum sanctum
se. Nobis liberior & calamus, & anim
stum omnia Apostolis nota fecisse o
gamus, nec erat eos scire omnia nec
illi per nos integrum est, non tantùn
noua fidei decreta statuendi, sed no
si videretur, legem. Sed ad proposit
tamur.

Eſt aliud inſuper in verbis meis, vnde opinio Lælij vritur; Chriſtum dixi poſt reditum in cœlum, Spiritui ſancto dictare poſſe, magnis ideo paſſibus Theologica ingreditur adyta, nec videtur reperire poſſe alium quàm æternum æterni auditoris dictatorem. Ego tamen & iſta non neſcio, & non tantùm cum communi Doctorum loquendi modo, ſed cum ipſa clarâ quidem Scripturâ loqui pergo. Spiritus ſanctus, ſcripturâ teſte, à ſemetipſo non loquetur, vnde igitur? *De meo accipiet, & , quæcunque audiet loquetur.* cuius *τὸ accipiet, audietque*, ſit temporis Grammatici iudicent, ego alteri foro ſeruio, in quo ſi rectè ſcriptura locuta eſt, non rectè iiſdem verbis loquentem, Lælius reprehendit, ſaluâ namque diuinâ Maieſtate, Spiritus ſanctus à Chriſto quæ docere Eccleſiam miſſus eſt, accipit, ſiue acceptio illa per verbum præſentis, ſiue præteriti, ſiue futuri temporis deſcribatur. Auguſtinum quem pag. 38. citas, audi loquentem meis verbis, mea verba explicantem, & aufer de cætero, non neceſſarios labores, habes ad quæ reſpondere debeas, iſta non omitte.

E Con-

Conclusio.

NOn potest ergò dici probabiliter, ne dicam clarè, Spiritùm sanctum, tantùm illa docere Ecclesiam, quæ Apostolis à Christo ipso, dum in terris ageret tradita fuerunt. I. Quia in nullâ Scripturâ, hoc *tantùm* exprimitur, vel subintelligitur. II. Nulla proba consequentia, illud *tantùm* è Scriptura educit; nam *quæcunq; audiet loquetur* nō concludes Ergò tantùm audiet Apostolis iam audita. *Docebit vos omnem Veritatem*. Ergò tantùm Apostolis iam auditam? *Docebit omnia, & suggeret omnia quæcunq; dixi, vel dixero vobis*. Ergò nihil præterea? O cadauera consequentiarum, nec semiunciam habent Dialecticę. III. In Maiestatem diuinam Gygantæo pugnat fastu, hæc Scripturæ præpostera interpretatio: cœli condita exhaurit, diuinas ligat manus, vt nec vnicum nouum fidei Christianæ dogma, neque Christus, neque Spiritus sanctus, ferre possint. IV. Constat esse articulos fidei, de quibus nulla Scriptura testatur, Apostolis, à Christo viuente, vnquam traditos fuisse, de quibus cap. sequente, Lęliana ergo scripturæ interpretatio, corruptio est scripturæ, non credenda, quia extra Scripturam.

Ad hęc, & id genus alia, respondet in *Claue* suâ Lęlius, consequentias meas, ad se non perti-

pertinere, esse contrarias claræ Scripturæ. Non egemus ergò deinceps Oedipo, Dauus posthac poterit ad omnia respondere.

CAPVT IX.

Omniane Christus Discipulis nota fecerit, quæ ad sui cognitionem spectantia à Patre audiuit?

C. Iulij Cæsaris fortunam hîc subeo, nutantem, trepidatione signiferi, aciem corrigentis; nam cum Martiæ Legionis Aquiliferum, ineundæ fugæ gratiâ iam conuersum videret, accurrit, apprehensóque faucibus, vultúq; retorto, *quorsum*, ait, *tu abis? illic sunt cum quibus dimicamus*. Lęlius, in ipsâ huius capitis inscriptione, fugam adornat, verbis principio anceps, luce indiget: immiscet necessaria scitu ad salutē: Heus fugitor, non sunt hęc de quibus dimicamus, quęrimus in nostrâ disputatione, omnes omnino articulos fidei, in scripturâ clarè expressos, adeoque omnia ad plenam salutiferę Christi doctrinę cognitionem necessaria, à Deo Patre audita, & Apostolis notificata; nam ad salutiferam, quâ caput hoc inscribis, Christi cognitionem, paucis opus esse, latro è cruce, ad beatas sedes euolans, testatur. Itaque resiste,

non fuge, nam Christum omnia quæ audiuit à Patre, ad fidelium suorum salutem & exordium inchoandę Ecclesiæ, absolutè necessaria, Apostolis nota fecisse, non negamus, omnia omnino ad plenam doctrinæ Christianæ cognitionem, & Ecclesiam vniuersim absolutam, necessaria, Apostolis tradita à Christo, etiam pernegamus.

At dicit hoc clarè Christus, Ioan. 15. Christum, mi bone, intelligis malè. Nam I. Christus clarè non dicit, se omnia, id est, omnes fidei articulos, Apostolis reuelâsse, quoscunque audiuit à Patre, nullo penitus dempto; neque dicit quosnam ex ijs, quos à Patre audiuit, notos Apostolis fecerit, vnde vel omnes omnino, vel omnes ad Ecclesiam vniuersim, vel omnes, ad Ecclesiam inchoandam duntaxat necessarij intelligi possunt, atque adeò inter tot diuersos Scripturę sensus, quæ claritas? II. Non tantùm non clarè, sed neque per consequentiam educes, ex his Christi verbis, apud Ioan: *Omnia quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis*, omnia omnino ad totius Ecclesiæ decursum, seu ad Ecclesiam vniuersim, vsque ad Consumationem sæculi, pertinentia Apostolis à Christo notificata; si enim quæcunque Christus audiuit à Patre, nota fecit Apostolis, quomodo nota nō fecit, quæ portare non potuerunt? an quia non audi-

audiuit? si audiuit, quomodo Spiritui sancto, doctrinam omnis Veritatis, ad Ecclesiam spectantis, reliquit? III. Reipsâ sunt articuli fidei, quos nulla Scriptura testatur, à Christo Apostolis patefactos; ex quâ igitur causâ, omnia omnino nota facta Apostolis credemus, quæ Christus audiuit à Patre, & non potiùs omnia illa tantùm, quæ portare tunc quidem potuerunt? Atque istud quidem doceri cupit Lelius, docebo accuratè, de tribus in *Linguario* obiectis articulis, nam de fatali, orbis in cineres ituri, catastrophe, Apostolis patefactâ, nihil attinet dicere, ipse Lælius agnoscit, non omnia omnino, quæcunque audiuit Christus à Patre, nota facta Apostolis, sed solùm ait, omnia ad Ecclesiæ decursum spectantia, ad quam tamen ipse vtique Ecclesiæ, in cælum è terris abituræ, dies, etiam pertinebit.

§. I.

Vtrum à Christo didicerint Apostoli locum Iudæ proditoris, explendum esse, non autem Andreæ, Ioannis, aliorumq́?

EXcute, Lector, omnia Christi, ac singula, quæ ab ipso, ante suum in cœlos reditum, dictáque,

dictáque, factáq; sunt, nihil reperie
& tamen pag. 46. Lælius asseueratè id
probat etiam; vide sis quid libido hom
râ Christi doctrinâ auertendi, non
probat ex Scripturâ Veteris Testame
autem obsecro? mirum sanè si ibi re
monium, Christum cum inter viuos a
cuisse Apostolos, vt post Iudę suspen
viratum explerent post necem Andr
rum non explerent. Non probat hoc
num exspectabam, probat tantùm e
lum fidei, locum illum alteri dandu
ipsum tamen ego, clarissimis verbis,
pag. 36. *Linguarij*, affirmabam. Mi L
quærimus nunc articulos fidei in Scri
teris Testamenti, sed in solo Euangeli
Noui Testamenti libro, hunc articulu
sto viuente Apostolis propositum fui
quid respondisti?

I. Responsum.

Pag. 46. ad doctrinam Christi
traditam, ante Ascensionem, addit e
terium Dauidicum, in quo Christo
inscripti leguntur psalmi. Sudat eni
Prædicans in hoc argumẽto, videt Eu
tacere hunc articulum, ideo Christum
in Nouo audire non potest, audit in V

ſtamento Apoſtolis dicentem *Et epiſcopatum eius accipiet alter.* Quid ergo reſpondet? Chriſtum antequam eſſet natus, in Bethlehem Iudæ, dixiſſe Petro, & Andreę, nondum Apoſtolis, Iudæ ſuſpenſi locum, complendum eſſe; nam antequam naſceretur Chriſtus, & Pſalmus iſte, & Petrus erat. O fumi, fumi meri!

II. Reſponſum.

Animaduertit ipſe Lælius nutare hoc reſponſum, aliud igitur ſuccenturiat, ex Lucâ, ex quo certus eſt, Chriſtum Emmauntinis peregrinatoribus, Scripturas interpretantem, monuiſſe quoque de Iudâ: nimirum, intererat illorum, nôſſe comitia eſſe agenda, cauſam, & euentum eorundem; neq; enim ignorabat Chriſtus, hos duos illos eſſe, ad quos ſenatum cogere, & ſenatus conſulta publica re ſpectabat; hoc imò ſolum requirebat viatorij illius colloquij ſumma: hoc clarè Lucas ipſe teſtatur, apud quē Chriſtus, *interpretabatur illis, in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant.* Nunquid enim Scriptura de Iudâ non eſt de Chriſto? vtique. Sed multæ hac ratione ſunt Scripturæ, & multa nimis dicendi materia, ſiquidem omnes de ſe Scripturas, interpretabatur, quæ aliquo ad ſe modo ſpectabant. Perſuaſiſti mihi Læli omnes omnino articulos fidei eſſe clariſſimè in Scripturâ, ſi perſuaſeris,

ſuaſeris, vt credam, in hoc Colloquio, de loco Iudæ fuiſſe actitatum. Quin pari ego licentiâ, pari ſaltem auctoritate dicam, in eo Colloquio edoctos à Chriſto diſcipulos, de purgatorio, è quo, ſicut è Lutheri *Scheolach*, captiuam eduxit captiuitatem. Non credis mihi Læli hunc articulum fidei à Chriſto hîc traditum? nec ego tibi, de Iudæ loco complendo, credam; eodem enim es vſus genere argumenti.

Cedo itaq; claram ſcripturam Læli, Chriſtum hunc fidei articulum de ſucceſſore Iudæ Apoſtolis tradidiſſe, antequam ad Patrem rediret: hoc in *Linguario* poſtulaui, hoc in *Claue* tuâ non reperio: Articulum ergò fidei, Apoſtolis à Chriſto non notificatum, habemus.

§. II.

Circumciſionem mortiferam nunc eſſe, articulus Fidei eſt; Apoſtolis à Chriſto viuo reuelatum eſſe, ex Scriptura doceri non poteſt.

LOquar, Læli, vt me videas, vel certè viſum non fugias. quæſtio eſt de Circumciſione: hanc ego vſurpanti non tantùm non prodeſſe, ſed obeſſe, ac mortiferã eſſe aio, tu negas, p. 47.

Ad

Ad pulpitum ergò mi Læli, disces vt video prima Christianæ doctrinæ rudimenta. Circumcisionem, vim perdidisse, nec sine peccato more antiquo vsurpari posse: nam errare in fide, est Mortiferum; vsurpare circumcisionem ex lege rituq; Mosaico est errare in fide; de fide enim est, vim circumcisioni nullã amplius inesse, Ergo vsurpare Circumcisionẽ, hoc modo, est mortiferum. Sed quid tibi cum consequentijs? Accipe ergo scripturam, non vt tu somnias tacentem, sed tantâ claritudine clarigantem, vt crassissimas etiam in aures, penetrare se possit. Audi Apostolum ad Galatas 5. v. 2. *State*, ait, *& nolite iterum iugo seruitutis contineri*, *Ecce ego Paulus*, *dico vobis* (tametsi neget Onoldinus Propheta) *quoniam si circumcidamini*, *Christus vobis nihil proderit*. Mors in olla Læli; circumcidere nonne est occidere? *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini*, *à gratiâ excidistis*. v. 4. Est sanè circumcisio Iudaismi professio, vt non iniuriâ, hoc loco, Apostolus dicat, *Testificor autem omni homini circumcidenti se*, *quoniam debitor est*, *vniuersæ legis faciendæ*; obligat ergò circumcisio, de quâ loquimur, ad illicita. Hæc Galatis Paulus, non Iudæis, sed Christianis, circumcidere se tamen gestientibus, cur inhibuit Apostolus? cur circumcisis nihil profuturum Christum prædixit? nec dum mortem vides, in circumcisione, Læli? Chri-

ſtianus cui nihil prodeſt Chriſtus, mortuus e
Chriſtianus, Baptiſatus circumcidens ſe, e
Chriſtianus cui nihil, prodeſt Chriſtus; Bapt
ſatus ergò circumcidens ſe, eſt mortuus Chr
ſtianus. Fidei igitur articulus hic eſt, Circun
ciſionem vſurpanti Chriſtum nihil prodeſſ
ſeu Mortiferam eſſe. Vbi legis in Scripturâ La
li, à Chriſto viuo, inter Apoſtolos hunc artic
lum fuiſſe auditum? nuſquam. Da victas igit
manus, vel, quod malo, intellectum.

§. III.

Suffocata, Idolothyta, ſanguinem, præ cepto diuino prohibita fuiſſe, eſt articu lus Fidei, Apoſtolis ante decretum Act. 15. ignotus.


CONtra Lælium; qui, ne debeat oſtender in Euangelio vel ex Clarâ Scripturâ cog tur probare, Chriſtum hæc Apoſtolis anteq in cœlum reciperetur, nota feciſſe, audacter, mni fronte poſitâ, negat, eſſe articulum fid Suffocatis, Idolothytis, ſanguine veſci, fuiſſ legi diuinâ inconceſſum Chriſtianis. Cauſar habet, quia deſitum eſt, in Eccleſiâ id obſerua Non mouet me hæc rationis imago, Læli, de êre multi articuli fidei, Lex ipſa, & Synagog
qu

quot, & quàm varij cum illâ Fidei articuli? De fide etiamnum est, Circumcisionem articulum fidei fuisse, quo credendum erat, illam pro signo filiorum Abrahæ datam, vsurpandamque fuisse. Circumcisio abrogata est, & solùm creditur iam, fuisse salutiferam. Sed quidquid demum sit, Scriptura testis est abstinentiam ab imolatis, suffocato, & sanguine, præcepto diuino vetitis, præceptam, & ad salutem necessariam fuisse. Æterna hæc auctoritas est; ita *Visum est Spiritui sancto, & Apostolis, nihil vltra imponere fidelibus oneris, quàm hæc necessaria.* Et non sit de fide, quod *Visum est Spiritui sancto, & Apostolis, imponere fidelibus?* Quidquid Spiritus sanctus Ecclesiam docet, est de fide credendum; à suffocato, sanguine, Idolothytis esse abstinendum, Spiritus sanctus docuit Ecclesiam; Ergo ab his esse abstinendum, fuit de fide credendum. Crediderunt profectò à Spiritu sancto dictatum, hoc in Ecclesiâ præceptum, ipsi Apostoli, testem Lucam habes, audis ipsos loquentes, *Visum esse Spiritui sancto.* & tu neges articulum fidei fuisse, damnatam ob Ecclesiæ statim exortu extitisse, sanguinis, suffocatorum, imolatorúmque gulam? Nulli tunc in totâ Ecclesiâ Idolothytis, suffocatis, ac sanguine vesci, post hanc legem, permissum fuisse, constat; nam legem Iudæis, & fidelibus Veteris Testamenti latam, Ec-

clesia

cunque audiuit à Patre, nota fecit Diſcipulis, quod ipſe rectè fatetur, pag. 45. ita non omnes omnino fidei articulos, Apoſtolis à Chriſto notificatos, ſed eos ſolùm, quorum notione tunc, ad inchoandam Eccleſiam, indigebant, ex Ioanne colligi poteſt; tum quia omnem reliquam veritatem docturus erat Spiritus ſanctus, quam ipſi, adhuc viuente Chriſto, portare non poterant; tum quia reipsâ ex nullâ Scripturâ oſtendi poteſt, hos tres articulos, (vt reliquos infra allegandos, in nullâ penitus Scripturâ repertos, omittam) à Chriſto, Apoſtolis, dum inter illos moraretur, ſignificatos. tum denique quia nullâ ſolidâ ratione hæc interpretatio, ſed in ſolo Lælij cerebello, conſiſtit. At huius nos cerebri filias, non adoramus, miramur tamen talia monſtra impunè generari, & in pretio eſſe poſſe, mucus enim eſt, non Minerua.

PARS



PARS. II.

DE TRADITIONIBV
Articulo VI. Script. Lo- quentis.

CAPVT I.

De I. quæst. art. VI. Utrum Scri ra vnica sit norma Fdei Christianæ.



RAVES fecisse Ale
dro, scribit Plutarchus, l
in ambitiosum Antipa
vulgo dictas; quem enim
nesciebat, occultis ma
efflictim fascibus insidia
hoc, honorum negligentiam, haud pas
adeò impunè prædicari, quin identidem
illum foris albo tectum, intus totum esse purp
dictitaret. Dignus sanè in quem hoc ipsu
cam; est meus Lælius; doctrinam ille

cum niue, candidam esse vult, scripturæ sacræ verbis gypsatam, non tantùm candidissimè dealbat, quàm potest, sed vt perennitatem addat, scripturam pro vnicâ doctrinæ, Fideique Christianæ normâ, proclamat. Inter istos tamen candores, ipse meus Lælius, aterrimè intus niger est, eâdémque fuligine, Lectores, in hac alterâ suæ *Clauis* parte, collutulare, & obfuscare iterum conatur. Scripturam vbique testem citat, nusquam intelligit, & quâ candere se putat, non videt suâ, tam alienâ à Spiritus sancti, interpretatione nigrare. Plus ergò hac 2. parte à Lælio scripturæ tribui, minùs in eâ reperiri, imò horum quæ Lælius producit, nihil ostendam illi, potiùs tamen Lectori, non quod Lælium demonstrationum mearum spectatorem non optem, sed quod desperem.

§. I.

Scripturam esse normam vnicam Fidei, ex scripturâ probat.

EX quâ omnia probat. Tulit hanc sententiam Iosue cap. 23. vers. 6. Deut. 12. vers. 32. In his, ac similibus, legit Lælius, ***nec declinandum ad dexteram, nec ad sinistram, nihil addendum, nihil detrahendum***; quid concludit? nullum esse articulum

culum Fidei,extra ſcripturam , ſolámqu
ſcripturam eſſe normam Fidei Chriſtiana
putidâ nuce digna conſequentia. quid a
culos Fidei, quæ de lege Moſaicâ , præc
tur? In Deuteromio certè, articulos Fid
teris Teſtamenti non leges, quos in Pro
poſterioribus leges, de quibus hæc lex à
lata non eſt. Sed poſtea de conſequen
ſpiciendum,nunc verbis ſcripturæ,lux da
hæc eſt. Non amplianda , non reſtrin
præcepta diuina, quà mores, quà cerem
rituſque à Moyſe præſcriptos ſpectant ;
muſſim omnia, & ad litteram explenda.
rituſque,numero non augendos,non dic
ptura,quę per Prophetarum,aliorúmque
ſe,Ioſuéque poſteriorum ſcripta aucta fu
ſtatur ſcriptura,pertinet ergò non adden
mendíque hoc præceptum ad omnes,& à
gulas leges Moſaicas, in quibus nihil iuris
vult legislator cuiuis, ſe & ſucceſſoribus
que exceptis, quibus DEVS & has dictaui
alias,dictare potuit,quibus interpretandi
que dirimendi dedit poteſtatem. Non
tis,non auferetis, ad eos igitur pertinet,
DEO inſpirati non ſunt,ſed humano ſolùn
ritu reguntur quòd ſi Lælius interpres tan
chanicus,aut ἀπαλαιςρ@- eſt,vt ſcriptura
bitretur,excludere omnia ab articulis fide

in Deuteronomio non continentur, ſeu in *volumine legis Moſaicæ*, de quo hęc verba loquuntur, nec ſine anathematis notâ, vel ad Deuteronomij, vel ad Veteris Teſtamenti leges, ab vllo quidquam addi, detrahíque poſſit, næ ille graphicè errat. Quid non in capita Prophetarum. S. Pauli, omnéſque Noui Teſtamenti ſcriptores concitat tempeſtatis? quid non nouarum iſti legum, articulorúmque Fidei addiderunt. Ipſe adeò Chriſtus, ad Decalogi leges adiecit. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, &c. Ego autem dico vobis, &c.* Vides Læli declinantem ad dexteram, & ad ſiniſtram Chriſtum, cum Apoſtolis? addiderunt hi ſanè aliquid, quod Antiquis dictum non fuit. Lege, mi homo, Apoſtolorum ſcripta, damnatas Iudæorum leges, ceremonias, Fidei articulos, in illis leges, & declinare ad dexteram, aut ad ſiniſtram, ad verba vel Moyſis, vel V. Teſtamenti, non licere addere, vel detrahere, dices prohiberi? O nugę nugarum. & quæ naſcuntur ab ipſis, ſunt nugæ. & tamen reſponſum vrget; tanquam ſi cum Æſopicâ gallinâ aureum illi excidiſſet ouum, ita glocitat ſuperbè.

Poſſet tacitus ſi paſci coruus, haberet
Plus eſcæ, & rixæ minus.

Si reſponſum non poſtulares, non rideret te Logicorum ſchola, minùs etiam tuis innote-

F ſceret,

ſceret, in quantis ignorantiæ tenebris, q
densâ in caligine, infidus ſcripturæ intre
verſarêre.

§. II.

Idipſum probat ratione.

SCripturam ſacram, regulam eſſe Fidei,
bus, eodem ouo proditis, contendit
mentis. I. eſt. Scriptura vetat addere,
ferre quidquam ex ſcripturâ; Ergo tene
ſcripturæ ſoli adhærere. Soli ſcilicet I
ronomio ſeu libro legis Moſaicæ. Vale
cæteri, cuiuſcunque eſtis teſtamenti, V
Noui, clamat Libertus, exite è cenſu ſacr
voluminum; nam ſcriptura, à quâ neutr
deflectendum eſt, ſoli ſunt libri Moſaici,
riores profectò, ipſo Ioſue legislatore, eſſ
poſſunt. Deinde miſera Eccleſia eſt, ſ
liana, Moſaicę legis iugum ſubire cogitu
nec dextrorſum, nec læuorſum abire c
ſum eſſe, contendit Lælius: nobis non
eſſe tam ſuperbis, lege Chriſtianâ tenem
obligat nos Lex Moſaica; cur Ioſue pr
ſtemus? ſed à Lælio, contra ipſius me
explicato. Mirum, Læli, nî iubes ad f
reſpondere? imò mirum ſi iubeas? tam
mis eſt argumentatio, falſa in illo omnia
tecedens, & conſequens.

II. Argumentum è Triariorum manipulo validius est, maiores lacertos gerit, sed non plus cerebri: Audiamus pag. 52. in hunc modum Philosophatur.

Sicut erat constituta Synagoga, in cultu diuino, regula Fidei, ita & Ecclesia Christiana, talis regula, est constituta. Sed regula Fidei, in Synagogâ, fuit scripta, & ita quidem, vt nec augmentum, nec decrementum admitteret. Ergo etiam Ecclesia regula, hac lege scripta existit.

Respondeo, & Propositionem aliàs imbecillem, integram relinquo: Assumptionem verò, quam iam diu negamus, non admitto; vtróque pede illa claudicat; neque enim verum est, scripturam vel esse, vel fuisse vniuersalem, ac solam Fidei regulam, siue in Vetere, siue in Nouo Testamento; neque verum est, etiam quoad articulos Fidei, scripturam augeri, minuíque non posse: nam & multi articuli in scripturâ non sunt, esse tamen possunt, Ecclesiâ volente, & quidam in scripturâ fuerunt, esse desierunt, de suffocatis, Idolothytis illicitis, in Nouo, in Vetere, de Circumcisionis effectu, & alij multi. Itaque non probat Lælius suam regulam, nam etsi leges diuinas rem publicam concernentes, scriptas fuisse probaret, non euinceret tamen, omnes Fidei articulos, scriptos exstare; de legibus,

gibus, & Præceptis solùm diuinis, de hi
loquitur scriptura, à Lælio allegata.

§. III.

Responsum ad querelas Lælij

ORdinis turbationem, sentit iterum L
mallet methodo suâ me vsum fuisse.
verò cum *Linguarium* scripsi, aliò cogitatu
os diuisi; in publicum prodire mens mihi
erat, neque capitulatim scripta tua refuta
dicatum habebam, ad Amicum, tibi eti
miliarem, à quo libellum tuum acceperar
uato calamo scriptitabam; summam libe
gressus, ordinem egomet mihi aptaui, eo
silio, vt ostenderem scripturam omnilo
tem non esse, & homini bono, meliorem
tem inderem, explicato communi Luthe
rum errore. Posteaquam autem consi
mutaui, mutaui etiam stilum; posses id e
diciis, *Modio*, ac reliquis meis libellis doce
mauis de Murænis cum Caligulâ triumph
quando de Numantiâ, cum Scipione no
tes. Hac denique de causa ad I. & postre
cap. 6. quæstionem non responsum, vide
enim non indigere, postquam enim arti
Fidei esse, nullâ scripturâ testatos, ostendi

O

ostendi, nec te Iosue dicta intelligere, & D. Pauli calumniosè citare.

CAPVT II.

De II. quæst. Script. Loquentis, *Vtrum Apostoli nihil extra dixerint, quàm quæ Prophetæ locuti sunt, & Moyses?*

NOn indiget lucernâ meus Diogenes, nimiùm videt in meridie, nec quod quærat habet, tam innube semper illi cælum aperit matutinus Diespiter. Producit itáque pro affirmante suâ sententiâ, S. Paulum, pronunciantem Act. 26. vers. 19. & seq.

> *Auxilio autem adiutus DEI, vsque in hodiernum diem sto, testificans minori, atque maiori, Nihil extra dicens quàm ea quæ Prophetæ locuti sunt & Moyses, si passibilis Christus, &c.*

Hinc velut ex Troiano equo, non paucæ prosiliunt controuersiæ, ad quas antequam accedo, moneo, id quod pag. 58. de me scribit Lælius, *me docuisse multos numerari Fidei articulos, nec generatim quidem, & quasi in fundamento, in Vetere Testamento expressos*, esse veritatem Prædican-

 ticam,

ticam, nullus enim articulus fidei adhuc fuit,
quo non aliqua citetur ſcriptura, nullus adh
eſt qui non habeat æquè fundamentum in V
tere Teſtamento, ſi fundamentum forma b
ptiſmi, Lælio teſte, ibidem inuenit. Nos aut
hoc loco non de dubiâ, controuersâ, aut o
ſcurâ, ac genericâ loquimur, ſed de clarâ ſc
pturâ, de quâ, mea verba quoque intelligi veli
Nunc ad reſponſa Læliana gradum promo
ueamus.

Controuerſia I.

Vtrum S. Paulus hîc, de pluribus a ticulis quàm tribus teſtetur.

SVccenſet id mihi neganti, grauiſſimis ver
Lælius, pag. 58. non tantùm quòd D. Paul
vbique contrarius obſiſtam, ſed quòd Paulin
rum etiam verborum non ſine dolo malo, co
ruptor exiſtam: eamq́ue ideo ſibi induit opin
onem quod in *Linguario* legerit, in tribus du
taxat Fidei articulis, S. Paulum, Veritatem Ch
ſtianam, Prophetarum, ac Moyſis teſtimon
comprobâſſe. Inſpiciamus ergò tabulas, & qu
D. Paulo in mentem fuerit diſpiciamus. Perce
ſitâ vocationis ſuę hiſtoriâ, in quâ v. 17. erep
ſe enarrabat *de populo, & gentibus in quas mitteb*

tu

tur, aperire oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem, & de potestate Satanæ, ad Deum, vt accipiant remißionem peccatorum, & sortem inter Sanctos, per fidem quæ est in Christum; subnectit ista Apostolus.

> *His qui sunt Damasci primum, & Ierosolymis, & in omnem regionem Iudæa, & Gentibus annuntiabam, vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. Hac ex causâ,* (quòd & Gentibus annuntiabam) *me Iudæi, cum essem in templo, comprehensum* (supra cap. 21. v. 32.) *tentabant interficere. Auxilio autem adiutus Dei, vsque in hodiernum diem, sto testificans minori, atque maiori, nihil extra dicens, quam ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses, si paßibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus est populo, & Gentibus.*

Quid hîc de doctrinâ pœnitentiæ, de conuersione ad Deum, de dignis pœnitentiæ fructibus, Apostolus, ex Moyse, & Prophetis à se dictum testatur? *τò nihil extra dicens* non ad superiora, sed ad sequentia refertur, nam si etiam superiora connectit posterioribus, necesse erit dicere S. Paulum vocationis suę historiam etiam ex Moyse, & Prophetis probâsse. Non moueat te Le-

teLector, facilis ex Prophetarum effatis demonstratio pœnitentię, non nego inde vel non probari posse, vel à D. Paulo probatam non fuisse; hoc vnum nego, S. Paulum alterutrum hîc attestari; testis sanè non omnia quæ loquitur testata cupit, verba enim testium solùm vim habent, quæ testimonio inseruntur, tantum enim probat testis, quantum se probare velle dicit. At D. Paulus tantùm dicit, se, *si passibilis Christus, si primus ex Resurrectione mortuorum lumen annuntiaturus est populo & gentibus* nihil extra dicere quàm ea quæ locuti sunt Prophetæ, & Moyses. Hæc enim est *Spes* illa, de quâ accusari se dicit vers. 8. à Iudæis, frendentibus, non quòd pœnitentiam prædicaret, sed quòd prædicaret illam Gentibus etiam, & quidem in nomine Christi rediuiui: ideo etiam addidit *quid incredibile iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat?* Prædicari Pœnitentiam nihil noui erat Iudæis, præiuerunt Paulo multi pœnitentiæ, egregijque præcones, æquissimis Iudæorum auribus auditi; & nec multò ante Christi prodromus, Ioannes in deserto, ad quem etiam accursum, contra quem nullæ tales querimoniæ Iudæorum, nec ad Agrippam, nec ad Cæsarem; non ergo nocuit S. Paulo prædicata pœnitentia, quæ ideo nec potuit defensionis suæ apud Agrippam esse materia, nocuit tantùm *non incredu-*

credulum fuisse visioni per quam testis resurrectionis constitutus, missus erat *aperire oculos Iudæorum ac Gentium vt acciperent remissionem peccatorum, & sortem inter Sanctos, per fidem quæ est in Christum.* Hac de causa cultro destinabatur, immerito quidem, vt apud Agrippam causabatur, nam & Prophetæ, & Moyses hæc ipsa, de Passione, Resurrectione, Gentiumq; vocatione testabantur futura, quæ ipse testis, facta dicebat, & Iudæi ægrè audiebant. Hæc igitur quia Iudæis grauia erant auditu, intellectu difficilia, toleratu iniqua, Paulus Agrippæ verisimilia, & tantis testimonijs certa reddere conabatur: alia probatione non egebant, nec testimonio illi inserta, licet præmissa, fuerunt.

Controuersia II.

Vtrum ex his verbis S. Pauli constet, omnes Apostolos, omnia ac singula Christiana dogmata, ex V. Testamento probasse?

HOc est quod pag. 55. *Linguarij* negaui, adductis id genus pluribus consequentijs, eiusdem æris, ac notæ, malis enormiter & puerilibus: nec eam mihi adhuc exemit mentem, in

Claue suâ, Lælius; quid enim ad meas illas
spondit consequentias, quod palinodiam m
persuaderet? quid exspectas Lector respondis
non solet ad consequentias Lelius responder
nihil respondit; per illum adhuc pares sunt, qu
les ostendi esse, & malæ omnes. respondit tam
si respondere est, præterito aduersario arg
mento, oppugnatam thesin confirmare, vel e
plicare. Vide, Deum bonum, Lector, pag. 6
probat Apostolos omnes, singulos articulos
dei, Pauli exemplo, paucos ex V. Testamen
stabilientis ex eodem probâsse. ostendit ist
verò etiam ex ipsâ scripturâ.

I. Probatio.

Ex Ioannis cap. 20. Vbi disertè recitat, pr
cipientis hoc Christi, verba; dixit enim Ap
stolis vniuersis, Thomâ excepto, *Pax vobis, si*
misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritu
sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur e
& quorum retinueritis, retenta sunt. Quid rid
Lector? Christum hîc præcipere Apostolis,
omnem suam doctrinam, demonstrent ex Sc
pturâ Veteris Testamenti? credite hoc Luth
rani, habetis hic claram Scripturam, sed qu
minus credatis, habetis clariorem hîc impost
ram: ex quauis Scripturâ quiduis probabimu
si hoc ex istâ velimus. Ostende miserande Pr
dican

dicans, omnia quæ Paulus dixit, fecítque, Christi mandato singulari, dicta, factáque à Paulo, & quod enormiùs est, ea quæ D. Paulo à Christo mandata sunt, pertinuisse etiam ad omnes Apostolos? probabis sanè nullum Apostolorum missum ad Baptisandum, *non enim misit Christus S. Paulum Baptisare* 1. ad Cor. 1. Acceperint Apostoli idem mandatum, nõ ideo omnia quæ fecerunt, illis mandata fuerunt, aut quod vni mandatum, mandatum omnibus: certa quædam omnes attingebant. Ego verò exspecto, hoc mandatùm, in Scripturà, non in tuâ, Læli, consequentiâ.

II. Probatio.

Ex Matthæo, cap. 28. *Docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* Ergò ait eadem docere iussi sunt. Nemo negat; eodem modo iussos probandum est, eadem ex Scripturà V. Testamenti docenda fuisse Apostolis, doce Læli, sed ex Scripturâ. qui hoc in his verbis videt, videt profectò ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Sed ita comparatum est hodie, vt multi quidem laureati, pauci tamen sint Phœbi: ex Scripturá omnes Prædicantes probant, parum probè omnes. Videmus in Lælio, cui nec Scriptura Matth. 28. cap. nec consequentia respondet; est enim rudis, indigestaque moles, mon-

strum

ſtrum horrendum. Eadem docere iuſſi ſunt; Ergò eodem modo.

III. Probatio.

Ex D. Paulo ad Gal. 1. v. 8. *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo, Euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Obſtupeſce Lector os horum hominum! probandum eſt Pauli exemplo, dogmata Chriſtiana debuiſſe Apoſtolos, ex Scripturâ V. Teſtamenti docere, corrumpenda igitur Scriptura fuit, aliter probari cum non potuerit. Fecit hoc gnauiter Lælius eâdem pag. 60. ait enim. So verfluecht Paulus, alle die jenigen/welche das Euangelium predigen anders/ als er gepredigt hat. Gal. 1. v. 8. ô Stropham! Scripſit Apoſtolus *præterquam quod*, interpretatur Lælius *præterquam quo modo*: pro *aliud*, ſubſtituit *aliter*, pro re ipsâ ſcilicet, modum rei: nouit quippe tendere verſum, & verba ſibi cudere oportuna; vt enim S. Paulus teſtetur, omnes Fidei articulos, Apoſtolis ex Scripturâ V. Teſtamenti probandos fuiſſe, fulminantem fingit Lælius, omnes, qui alio, quàm ille modo idem Euangelium eſſent prędicaturi: ideoq; dicit, welche das Euangelium predigen anders/ non autem welche ein anders Euangelium predigen. Quam autem in Eccleſiâ tempeſta-

peſtatem non conflat, hac interpretatione Lælius? iſta ſanè feriunt ſummos fulmina montes; qui non ſcripſerunt Apoſtoli, quia aliter Euangelizârunt, non per epiſtolas, & ſermonem, S. Pauli exemplo, tanguntur. qui Euangelia ſola ſcripſerunt, aliter euangelizarunt, anathema fiunt. In tuum etiam caput, parata ruina eſt, Læli. tu ex Noui Teſtamenti Scripturâ Euangelizas, nulla talis adhuc in Eccleſiâ agnita fuit, pro verbo Dei, S. Paulo viuente, aliter ergo tu Euangelizas, Anathema es. Et quis denique, ac ſub quâ vituli marini pelle, ſecurus aget, ab hoc fulmine? quis per omnia cum D. Paulo idem erit, & nunquam in eâdem doctrinâ proponendâ alius? ipſum D. Paulum, hodierni dies, alium facerent, & ſui anathematis reum. Non igitur D. Paulus, ſed Lęlius iſta nugatur. S. Paulus anathema in eos intorquet, qui aliud, aliam doctrinam, contrariam Euangelio ſuo ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam tradito, diſſeminant. Non eſt autem alia, ne dicam contraria, D. Paulo doctrina, illius, qui Chriſtum rediuiuum, aliosque Fidei articulos aliunde, quam ex V. Teſtamenti Scripturâ, euangelizat.

Et tamen clara ſemper Lælio eſt Scriptura, in quâ dum reperit omnia, ſe alioſque ſuos perditè perdit omnes.

Con-

Controuersia III.

Vtrum Formã Baptismi, Veteris Te-menti Scriptura, contineat?

IN rem præsentem nunc imus, Lector, & omnes omnino articuli Christianæ Fid Scripturâ *Vet. Testamenti*, tanquam in co conuenerint, quærimus inter illos forman ptismi; articulus enim Fidei à Baptismo aliu hanc esse scilicet, & non aliam forman ptismi, sine quâ Baptismus conferri valid possit. Hanc si in *V. Testamento* non re mus, multùm errauit Lælius, qui ex *V. mento*, singulos Fidei articulos, ab Apo fuisse demonstratos, ausus est hactenus mare.

Ad hoc respondet Lælius, pag. 61. F linguis. *Non est*, inquit, *forma Baptismi in stamento quærenda.* Itane vero? ibi non quærenda, vbi inuenitur? repertam ibi Læli, ab Apostolis, quos dicis omnia Fide gmata ex *V. Testamento* demonstrâsse, & iam gas quærendam alibi quam in *N. Testamento* vbi vbi sit, meam erat ostendere forman ptismi non esse in V. Test. ostendi; vidit lius, & sine teste erubuit, fassúsque est; v

verecundiam ſuam tamen ſolatus & ab infami ſilentio liberauit, reſponſo; ait enim, à Prophetis, Baptiſmi fieri ſaltem mentionem. Verum

Non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula poſcit:

Formam Baptiſmi, non Baptiſmum quærimus, ſi ſatis foret nominato Baptiſmo in *V. Teſt.* affirmare, omnes de Baptiſmo controuerſias, ſub iſto nomine, in illâ cōtineri Scripturâ, quid non è Scripturâ probari poſſet? Dicit Scriptura Chriſtum eſſe, non ideo duas perſonas euincet ex Scripturâ Neſtorius; neque Eutiches, vnam in Chriſto probabit; neque Arius, animâ caſſum corpus habuiſſe oſtendet: Chriſti tamen nati articulum in Nouo æquè legunt, atque tu, Baptiſmi inſtituendi in V. Teſtamento. Nihil his ſi prodeſt ſua lectio, quid lucri facies cum tuâ?

Audi alia; neque ex Scripturâ Noui Teſtamenti, ſolâ, formam vllius Sacramenti demonſtrabis. Verba formæ leges quidem, ſed verba illa formam eſſe, nuſquam in Scripturâ leges, Traditio, & Eccleſia, non Scriptura Loquens, hoc nos docuit. Dicit Chriſtus, & ex illo Apoſtolus, *Hoc eſt corpus meum*, neuter tamen dicit, ſine his verbis, Sacramentum Euchariſtię, non poſſe confici. Eccleſia hoc dicit, illi huc vſque

vſque credidimus, abſque aliâ Scripturâ. Christus *Baptiſantes eos in nomine Patris, &* *& Spiritus Sancti.* quis dicit hanc eſſe, & n liam, Baptiſmi formam? quis dicit ſine hi bis, non conferri Baptiſmi Sacramentum clesia hoc dicit ſola, huic huc vſq; credid abſque aliâ Scripturâ. Quâ tu igitur ratio quàm ex *Nouo* non potes, probabis ex *Vet* *ſtamento*, Baptiſmi formam? Habes ſanè, m li, ſatis argumenti, vt ſententiam tuam dar dicáſque palàm, Apoſtolos non omnia, e *tere Teſtamento*, docuiſſe: habes enim artic Fidei, & quidem primarium, ad ſalutem neceſſarium, in nullâ penitus, ne dicam in *teris Teſtamenti* ſcripturâ contentum: ex q gò probâſſent illum, Apoſtoli?

Controuerſia IV.

Vtrum S. Paulus exemplo Chriſti bàrit omnes Fidei articulos ex ſcri râ Veteris Teſtamenti?

NEc Chriſtus hoc, nec Apoſtolus fecit. enim Fidei Chriſtianæ dogmata, vide in hiſtoriâ Euangelicâ, à Chriſto, in Actis, ſtoliſque à Paulo, & Apoſtolis lata, nullâ

pturæ *V. Testamenti* factâ mentione ? saliuam tamen pag. 57. vt se hoc demonstraturum crederet, mouit Lælio Christus, Ioan. 5. vers. 38. cum ait. *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Quid autem hinc demonstrauit ? magnam Dialecticæ ignorationem, quâ à secundum quid, vt aiunt, ad simpliciter sic argumentatur. Scriptura V. Testamenti testimonium perhibet de Christo ; Ergò etiam de omnibus Fidei Christianæ articulis. quasi Ioannes missus vt *testimonium prohiberet de lumine*, singulorum quoque Christianæ Fidei articulorum testis exstiterit ? idem sanè illum fecisse, scriptura Ioan. 1. testatur, quod de scripturâ Christus, Ioan. 5. dicit. Et potest vtiquè testimonium perhiberi de Christo, tacitâ illius doctrinâ : potuisse docent in scripturâ multi, ipsâ etiam *Dæmonia, clamantia & dicentia, quia tu es Filius DEI.* Lucæ. 4. & cap. 8. *Quid mihi, & tibi est, IESV Fili DEI altissimi* ? Confirmat insuper Lælius eadem pag. 57. quæ dixit, ex scripturâ, in quâ legit Christum compleuisse *omnia quæ scripta erant de illo* ; & claritate scripturæ huius illustris, victoriâ exultans, vel hinc, ait, liquet, omnia de Christo, ex scripturâ *Veteris Testamenti*, probari posse, omnia enim de se scripta compleuit Christus. Sed numquid, mi homo, non

potuit præter illa quæ de se scripta compleuit Christus, etiam quædam non scripta facere, dicere? Ad pharmaca potiùs, quam figuram Galeni, hæc pertinet consequentia;

Christus fecit omnia, quæ in sacris voluminibus, de ipso, scripta erant, omnia ergo quæ fecit in sacris voluminibus erant scripta.

Canes cæperunt omnes ceruos, qui in venatione hesternâ erant; Ergò omnes cerui, erant in hesternâ venatione. Lælius legit omnes libros Anno superiore Norimbergæ impressos; Ergò omnes libri, quos legit, erant Norimbergæ anno superiore impressi. certè Linguarium meum reclamat.

Quid affingis ergò Christo, Prædicans, vel Apostolis, cum nequeas ex scripturâ, alioue argumento, ostendere, scripturam *V. Testamenti*, omnem Christi doctrinam, continere? acceperit Christus, & Apostoli, ex scripturâ, ea quæ in scripturâ non erant? hoc videris velle; aut quid aliud probas? te scripturam non intelligere, & malè explicare; de quo Galenus veriùs, quàm de Mose dicat, Lælium multa dicere, pauca probare.

CAPVT

CAPVT III.

De III. quæst. art. VI. Script. Loq. Vtrum Apostoli ea tantùm docere iussi fuerint, quæ hodie in Biblijs legimus?

OPinatur Lælius humeris se *Scripturæ* ex omnibus Fidei controuersijs, velut olim Romanum Oratorem, humeris Reip. in Patriam ab exilio, reportari: Sed varices dum Vatinius contemplatur, gestari posse nostrum, tam varicosum Ciceronem, pernegat, qui tametsi Veritatis se hexaphoro saltem portari credit, tamen ceu

Pauper Aristoteles cogitur ire pedes.

Multùm sanè errat, & nec Scripturâ, nec Veritate succollante, è controuersijs exitum quærit, sed quasi Minotaurum inuestigaret, sine filo Labyrinthum, nunquam rediturus ingreditur, nisi veræ opem Ecclesiæ tandem inclamet. Vide amabò, Lector; errâsse illum in *Script. Loquente*, dum Apostolos imperatos, manere in doctrinâ Christi, seu quod illi idem est, non alia, quàm quæ hodie scripta sunt, docere debuisse affirmabat, monstraui in *Linguario*; iam verò,

verò, dum in *Claue* suâ cap. 3. pag. 62
sponsitat, in multò crassiores præci
res; demonstrabo, vt nôris Lælium
Scripturę humeris, sed in errorem
efferri.

§. I.

Vtrum Matth. 28. v. 20. Apos
tùm illa, quæ hodie scripta sun
di mandatum acceperin

EXplosi in *Linguario* cap. 10. ridicu
consequentiam, quam exsculpsi
thæo Lælius: & quis enimuero non
dentibus, tam comicas nugas, qui au
bis Matth. 28.

Docentes eos seruare omnia, quæcun
vobis.

Præcipi Apostolis, illa duntaxat v
quæ hodie scripta sunt, & non alia.
vel ad Scripturam respexerit hîc Chri
probari nequit; vel in Scripturâ omn
mandata sint scripta? Neutrum verun
trum hæc Scriptura testatur, neutru
reperies Scripturâ, neutrum Lęlius
Audiamus nunc in *Claue* suâ respond

I. Responsum.

Non requiri, ait, pag. 68. vt omnia, mandante tunc ista Christo, extiterint scripta; extitisse postea esse satis.

Errat Lælius I. quia persuadet sibi, ea tantùm quæ postea scripta fuerunt, fuisse Apostolis à Christo mandata, vt vbique gentium docerent, & non alia. de quo paulò post.

Errat II. nisi enim ostendat Christum loqui de mandatis, vel scriptis, vel scribendis, non probat Apostolis mandatum, vt tantùm scripta, vel scribenda docerent: hoc ex mandantis verbis est demonstrandum. non temerè affirmandum; possunt enim mandata Christi esse, & nec scribenda, nec scripta esse.

II. Responsum.

Omnia, ait pag. 70. esse scripta, quæ Christus prædicanda Apostolis mandauit: datam enim illis non *indefinitam*, sed certam, ac perfectam legationis suæ instructionem. Matth. 28.

Errat I. quia potest esse certa, ac perfecta legationis instructio, absque vlla Scripturâ. Ita è cœlo missus est Gabriel, vtiq; absque Scripturâ, non sine instructione tamen.

Errat Lælius II. quia *multa adhuc habuit ipsis dicere Christus, quæ tunc non poterant portare,* & à Spi-

à Spiritu sancto erant cognituri; non erat ergò integra instructio adhuc, sed mandatum indefinitum.

Errat III. ait enim pag. 70. istud Christi mandatum absolutum esse, ac plenum, cum sit Euangelium, Marco teste, ab Euangelistis conscriptum. Quanta audacia, DEVM bonum! Certè Christum ad illa quatuor Euangelia respexisse, vt mandaret ne ab illis, tanquam à doctrinâ suâ, recederent sed illa promulgarent, incredibile est, probari non potest. Nec verisimile est, imò falsum etiam apertè, Marcum, (vt ait Lælius, hoc loco) per Euangelium illa nostra quatuor indigitâsse, quæ tunc non erant omnia; Lucas enim necdum, cum ista scribebat Marcus, manum tabulæ admouerat, necdum cogitabat id Ioannes, cuius Euangelium, Marco nec visum quidem. Et quid necesse tantâ ludificandi homines operâ? mandata, & doctrinam Christi oportet esse scriptam, ideo fingendum, fallendum, &c?

Intellexerit autem Marcus, cum ait, *Prædicate Euangelium omni creaturæ* Euangelia quatuor, quæ tunc non erant, non ideo omnem Christi doctrinam continebit istud Euangelium, neque enim omnem Christi doctrinam habemus ab Euangelijs, multa D. Pauli Epistolæ, multa Traditio nos, de doctrinâ Christi, docuerunt, quo-

quorum nulla in Euangelijs mentio, nisi talis, qualis in V. Test. est formæ Baptismi. Quid ergò Marcus per Euangelium? Doctrinam Christi, integram, (quæ tunc quidem scripta non erat, cum Christus mandatum Apostolis dedit, docendi omnes gentes, & prædicandi Euangelium omni creaturæ) iam verò partim scriptam, partim non scriptam habemus. Atque hæc est plena instructio, illa, quam tu in solâ scripturâ legisti.

III. Responsum.

Ad ea quæ in *Linguario* pag. 29. & 62. obieci, non prohiberi idcirco Apostolis, quominus etiam à Christo viuo, non audita (saluo hoc Mandato Matth. 28.) vel ab illo, iam cælite, vel à Spiritu sancto accepta, diuulgent; sicut qui iubet Catonem prandere, non ideo vetat cænare; qui iubet honorare patrem, non prohibet honorem Matris; qui Consuli Onoldino credendum ait, non negat fidem Lælio; qui ex herili sacciperio aureum vnum erogare imperat, non vetat vel ex eodem aliàs, vel simul etiam ex alio, esse liberalem; ad ista inquam respondet pag. 73. responsi summa hæc est;

S. Paulum non potuisse de suo quidquam addere, ad doctrinam Christi.

Nugę ſanè ſplendidæ. Errat I. quia argumenti neruum non tangit quidem, ſed quod moris Prædicantici eſt, ab eo à quo premitur, abſtinet, ne Camerinam moueat, ſibique in ſalebrâ hærenti, ſuâ confeſſione, faciat inclementer; ideo & Lælius aliò Lectorem abducit, atque in *ſimilitudine*, ſolum pedem inſectatur claudum, illique fit Ariſtarchus, cui Podalirium eſſe oporteret. Itaque non hoc nunc ago Læli, non dico Paulum de ſuo promum eſſe poſſe, in eâ parte claudicat, ſicut omnis, ita & mea ſimilitudo; cõſtitutum his exemplis erat declarare, Apoſtolos hoc mandato, non adſtrictos, vt ea ſolum, & nulla inſuper alia dogmata, quàm quæ à Chriſto, in cælum nondum reuerſo, acceperant, docerent; ſicut eo mandato quo Cato iubetur prandere, non prohibetur cænare; quo certam ſeruus, in paupertinam tribum, pecuniam ſpargere iubetur, non prohibetur etiam alia erogare. proſcribo igitur, ex verbis Matthæi, interdictum, quod toties mihi inculcari audio: de cæteris nulla mihi, iam nunc, eſt curatio.

Errat II. quia tacitè tacet, & nec verbulo, ait, negatuè, Chriſtum cælo redditum, Apoſtolis & Eccleſiæ noua dare mandata poſſe. quid ita? videt negari hoc non poſſe, confiteri erubeſcit; teneretur enim conuictus, ſi auctarium,

iam

iam ſcripta Chriſti doctrina, admitteret non ſcriptum.

Errat III. ait enim, me cum ſcripturâ nugari pag. 73. iniuriam facit; nugari non eſt meum, ſed cum ſcriptura nugantem Lælium demonſtrare id mearum nunc partium duxi, qui ex ſcriptura tam ridiculas facit conſequentias, quàm ego cum Catone, illius ad normam.

Errat denique quia ſcripturas iterum citat non intellectas, ad Gal. 1. aliáſque, ex Nouo Teſt. contraria ſcripturæ illis duntaxat doceri prohibentur. Deuotio Apocalyptica ad Euangelia non pertinet, nec V. Teſtamenti minæ, ad Nouum, vt ſupra dixi.

IV. Reſponſum.

Ad obiectionem, quâ oſtendi in *Linguario* pag. 29. potiùs ex Matthæo conſequi, Mandata illa de quibus cap. 28. loquitur, eſſe Traditiones, quàm ſcripturam, cùm ſcripto Chriſtus Apoſtolis ne vnicum quidem iota tradiderit; reſpondet non fuiſſe meras Traditiones, ſed in Prophetarum ſcriptis contentam Chriſti doctrinam, & non multò poſt in tabulas Euangelicas relatam.

Errat Lælius, I. fatetur enim hoc ipſo, antequam ſcriberet Matthæus, inſtructionem illam, Apoſtolis à Chriſto datam quàm mirè de-

prędicat, fuisse incompletam, obscuram, vtpote in scriptis Prophetarum (quę obscura fatetur pag. 13. 15. 16. *Scripturæ Loquentis*) contentam. Nec mandata Christi integrè scripta fuisse hoc ipso admittit, quod pag. 61. neget formam Baptismi in V. Test. quærendam. Nil restat igitur quàm vt mecum concludat, cùm ante Matthæi Euangelium, non omnes articuli Nouę Legis scripti extiterint, Christum Apostolis, Matth. 28. mandâsse, vt Traditiones prædicarent, saltem aliquas.

Errat II. nam dicit, non multò post vulgatas omnes Traditiones ab Euangelicis scriptoribus. Nec hodie quidem omnes scriptas esse, infra probabo, & de formâ Baptismi iam clarum est, ex prioribus. Ad hæc scriptura ista mandato posterior, quid ad rem? cum mandatum fuerit tot annis executioni datum, scripturâ autem non fuerit.

Errat III. Asserens Apostolos ex formulâ Euangelicâ, ab Euangelistis conscriptâ, prędicasse Euangelium; nam I. octennem prædicationem habemus, antequam Euangelium vllum extaret, illa igitur prædicatio, sine formulâ scriptâ fuit.

II. Apertè Veritati contradicit, cum ait, Apostolos ab illâ regulâ Euangelicâ, quę scripta erat, omninò non recessisse: nam Euangelium

lium Ioannis nullus propè Apostolorum vidit, quomodo nullus ab illo scitur recessisse? Deinde nec constat, nec probari potest, nec verum est, ex scripturâ, *Euangelia, tempore Apostolorum, habita fuisse pro Verbo DEI*, scripturam sacram, pro Regulâ fidei, à quâ nec latum vnguem discedere vlli concessum fuerit. Hoc proba Læli, & eris mihi magnus Apollo.

§. II.

Quàm probabiliter Lælius S. Matthæum cap. 28. vers. 20. explicet?

EX Scripturâ scilicet, Scripturam: nihil meliùs, si bene. Vnus hic labor est Lælij, vt ostendat, ab his, (quæ apud Matthæum legit, Apostolis mandata) non declinandum vllo modo; pro instructione siquidem habet, mandata illa, Spiritus sancti suggestione, in codicillos relatâ: In quo diuersi sumus, agnoscimus enim scribentis Dei digitum, sed nō scribentis instructionem plenam, omnibúsq; numeris absolutam; neque enim videmus omnia esse scripta, neque credimus nihil ab ascensu Christi in cœlum, amplius dictari Ecclesiæ, à Christo, per Spiritum sanctum, potuisse: neque Lelius ex Scri-

Scripturâ id docere poteſt, conatur quidem; audiamus.

I. Argumentum Lælij.

Ex Ioanne cap. 8. v. 31. petitum, vbi Chriſtus, *Si manſeritis*, ait, *in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis*. Ergò Apoſtolis, in prædicatione verbi diuini, mandatum, vt à Scripturâ non recederent. Supponis credo Lęli, ſermonem Chriſti, eſſe ſolam Scripturam? nimis mechanicè. Manſerunt Apoſtoli in ſermone Chriſti octo ipſis annis, antequam aliquid Scripturæ lucem adſpiceret. poſtea ſcriptum ſermonem Chriſti fingis tantùm, ſed probandum eſt, ſermo enim Chriſti in Scripturâ quidem eſt, ſed integer in illâ non eſt: integer fuit ante Scripturam in ſolâ Traditione, in illâ adhuc eſſet, niſi quædam *de omnibus quæ cœpit Ieſus facere, & docere* ſcripta fuiſſent: proinde iam partim ſcriptus, partim non ſcriptus, in Eccleſiâ exiſtit.

II. Argumentum.

Iterum ex Ioanne, quem cap. 1. Epiſtola 1. clariorem autumat eſſe Matthæi interpretem, nam *quod vidimus*, ait, *quod audiuimus annuntiamus vobis*. Heus Lęli, ne quid nimis; ne pręcipita; quid dicis? quid concludis? hoc ſanè, ſi pro te ſta-

te ſtabit Ioannes; ſed tantùm vidimus, tantùm audiuimus illa quę iam ſcripta ſunt; Ergò tantùm illa annuntiamus. Habet hîc Lęlius quod quærit, plenam inſtructionem, mandata Chriſti, ſcripta omnia, prętcr propoſitionem tamen omnia falſa. Argumentum ſanè, ne teruncio dignum hoc eſt. Ait Ioannes clarè, *Clarè* inquam Læli, ſed non Lælianâ, ſeu Prædicanticâ claritate, ſe quę viderat, quæ audierat annuntiare; hoc eſt; nihil annuntiare quod non viderit, quod non audiuerit, & Lælius dicat, Ioannem teſtari ſe omnia quæ vidit, & audiuit annuntiâſſe, in his quos ſcripſit libris? de Ioanne affirmat iſta Lælius liberè, pag. 65. ex his verbis? ſed contra Ioannem apertè. Numquid enim omnia quæ vidit, audiuitq;, negat diſertè eſſe ſcripta? *Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc.* Viſa tamen, & audita Ioanni. & cap. 21. *Sunt autem & alia multa quæ fecit Ieſus quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe, eos, qui ſcribendi ſunt libros.* & audeat Lęlius interpretari Ioannem, quaſi viſa, auditáque omnia, ipſe ſe ſcripſiſſe aſſeueret? plura viderunt Apoſtoli, quàm ſcripta ſunt, teſte Ioanne, qui negat omnia ſcribi poſſe. Aſſumptio ergò, & conſequentia tua, tam falſa eſt, quàm vera Propoſitio.

III. Ar-

III. Argumentum.

Victoriam Lælius denique quærit in Lucâ; & reperisse etiam videri vult; ait pag. 67. Ex Lucæ cap. 1. v. 4. Scriptum Theophilo Euangelium, *vt haberet fundamentum totius doctrinæ Christianæ, non quarundam duntaxat partium.* Hinc deducit totam Christi doctrinam scriptam esse, atque adeò Apostolos tantùm quæ scripta sunt, docere iussos.

Respondeo commentum Lælij esse, quæ de Lucâ profert; nisi per fundamentum totius doctrinæ Christianæ, præcipua capita illius, ad salutem, & non ad plenam doctrinæ Christianæ, articulatamque cognitionem necessaria, intelligat; sin autem & hanc complecti velit, nullum tale fundamentum, in quo articulos fidei omnes, clarè collocârit, scripsit Lucas; qui non fundamentum doctrinæ, sed historiæ Christianę, non Catechesin, sed fastos, & ephemerides quodammodo, sua scripta esse voluit; conatus est enim *ordinare narrationem, quæ in ipsis completæ sunt rerum* non doctrinarum nisi quatenus cum rebus, ac historiâ Christi, coniunguntur. Quî fit autem, mi optime Læli, quòd memoriam tuam fugerit vocabulum istud Lucæ, *τὸ rerum?* cur pro illo *doctrinarum* ordinasse narrationem scribis, tam audacter? illud scilicet

non

non erat de pane lucrando? hoc tamen decipiendo Lectori erat opportunum.

Et pergis tu deducere adhuc, ex his Lucæ verbis, omnem Christi doctrinam à Lucâ esse scriptam? Neque *res* quidem quarum narrationem ordinauit, à Lucâ omnes esse scriptas noueris. Nimis ea multa sunt, quę fecit, scribi ea posse, negat Ioannes, cap. 21. Si scripta sciuisset à Lucâ, (sciuisset autem vtique, si scripsisset Lucas omnia) nec Ioannes scripta multa nimis causatus fuisset, nec tam caluè se excusâsset. Lucas ergò scripsit omnia moraliter, non Mathematicè, totam vitam Christi complexus quoad præcipua; nam neque tu dices Lucam de cæco nato, Ioan. 9. vel de Samaritana historiam scripsisse, tametsi narrationem rerum quæ in ipsis completæ sunt ordinârit.

Quid ergò probâsti, his tribus argumentis, Læli? te insignem esse sacrorum voluminum interpretem (an corruptorem?) qui quæcunque somnias hodie, cras in Scripturâ legere possis; tam dexterè quidem, vt nisi tam crassè deciperes, nemo animaduerteret.

CAPVT

CAPVT IV.

De IV. quæst. art. VI. Script. Loq. Vtrum Episcopis, omnibusq; sacri Euangelij Oratoribus, Verbum Dei, seu sola Scriptura, pro normâ sit?

QVo magis scripta tua voluo, hoc magis in mentem mihi venit Aristippi, maleloquẽtiam cuiusdam damnantis, votum; optabat enim inficeto illi, vt linguæ suę tam dominus esset, quàm ipse erat aurium suarum. Eodem ego te voto prosequi compellor, Lęli, nam toties audio, ex optimâ Scripturâ, pessimè te loquentem, ad obiectiones meas semper aliena respõdentem, & antiquas tantùm cantillantem perpetuò nænias. Pag. 40. & 41. respondi tibi ad hanc quęstionẽ, & ecce redis cum eâdem lyrâ; vis denuo audire, te esse malum Philosophum, Scripturæ parum fidem interpretem? repetam igitur, ausculta.

Solam Scripturam esse Verbum Dei, & normam Catholicæ doctrinæ, Lælius, & qui Scripturam non intelligunt, malè probant.

1. Ex

I. Ex S. Paulo, ad Titum 1. v. 9. vbi iubetur amplecti *eum qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem*. Lyræ; ſolam ergò Scripturam? & Traditio eſt ſecundum doctrinam fidelis ſermo; fuit, cum Scriptura nondum fuit.

II. Ex eodem 1. ad Tim. 4. v. 6. vbi legunt *verbis Fidei, & bonæ doctrinæ enutritum* Timotheum. Solâne ſcripturâ? *verba Fidei, & bonæ doctrinæ*, antequam ſcriptura N. Teſtamenti eſſet, in Traditione ſolâ fuerunt, adhuc ſunt.

III. Iterum ex D. Paulo, epiſtolâ 2. ad Tim. cap. 3. verſ. 14. vbi iubetur *permanere in ijs quæ didicit, & credita illi fuerunt* & *quia ab infantiâ ſacras litteras nouit*. Quid poſtea? quæ didicit, & credita fuerunt Timotheo, noui Euangelij dogmata, *Traditiones* fuerunt, nulla enim tunc, quæ pro Verbo DEI haberetur, Noui Teſtamenti ſcriptura fuit in Eccleſiâ. vbi enim promulgata? à quo, Scripturæ Veteris Teſtamenti, vel accenſa, vel æquiparata? doce ſimilia ex Scripturâ Læli. Epiſtolas S. Pauli legis apud S. Petrum ſcriptas, tantùm autem legis in illis eſſe quædam difficilia, non legis eſſe verbum DEI. Litteræ porrò (quas nouit ab infantiâ) ad Vetus Teſtamentum ſpectant, quod vtique, pro normâ ſolâ Fidei, non agnoſces.

IV. Audijt à D. Petro, Scripturam eſſe *vtilem ad docendum, arguendum*, &c. ſi concludit

 ſolam,

ſolam, errat; nam & *Traditio* ad eadem vtilis eſt: non ſolâ ſcripturâ de quo infra.

V. Lucę 1. ex ſcripturâ dicitur cognoſci veritas. Sed etiam ex *Traditione* cognoſci veritatem, docent qui Euangelia conſcripsêre: & Lucas cap. eodem teſtatur, ſe veritatem ex Traditione cognouiſſe.

VI. Ait pag. 79. Chriſtum quidquid docuit, quidquid fecit ad complendam ſcripturam feciſſe omnia. quî hoc Læli? quam ſcripturam compleuit Chriſtus cum didrachma à piſce exegit? cum porcos in mare demerſit? cum, quæ antiquis dicta non fuiſſe ipſe teſtatur, iraſci vetuit, cum oculum pro oculo, talionem poſcere, prohibuit, cum diligere iuſſit inimicos? Matth. 5. quam ſcripturam impleuit, cum prædixit Spiritum ſanctum non venturũ, niſi ille abierit. Ioan. 16. quam ſcripturam impleuit cum orationem Dominicam docuit? Sexcenta imò alia facta, dictáque Chriſti, quænam prædixit ſcriptura, vt eam Chriſtus impleret? Multa prædixit, Scriptura, illa compleuit omnia, non omnia tamen quæ fecit, docuítque, ſcriptura prædixit; & tamen meus Philoſophus, ex multis quæ prædicta videt, concludit prædicta omnia? ne putidam nucem, pro hac conſequentiâ, duim tibi.

Atque hæc quæ dixi, neque contra Lucam dixi-

dixi, neque contra Ioannem, neque contra Paulum, nec denique contra Christum, vt pag. 81. vanè affirmas: neque enim isti, omnem Christi doctrinam, scriptam asserunt; tu ex particularibus, hæc vniuersalia concludis. quædam scripsit Lucas, quædam tantùm, vt ipse fatetur, Ioannes; quædam probauit S. Paulus ex Prophetis, quæ scripta erant Christus impleuit, Ergo omnia scripta erant quæ fecit, docuítque IESVS?

CAPVT V.

Eiusdem quæst. deductio. Vtrum Fidelis sermo, sola sit Scriptura?

VIde, Lector, pulchram probandi, respondendíque rationem, in meo Lælio, & vna mecum demirare, Diogenem etiam mucidi panis cœnatorem, reperisse parasitos; habere inquam Lælium, qui tam ἄλογα dicta; tanquam vatum oracula, exosculentur.

Controuersia nobis est de hoc S. Petri, 2. cap. 1. pronuntiato; *Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti, in caliginoso loco.* & simili D. Pauli dicto 2. ad Tim. 3. *Tu verò permane in ijs quæ didi-*

cisti, & credita sunt tibi; & quia ab infantiâ sacras litteras nôsti, quæ te possunt instruere ad salutem &c.

Ego de solâ Scripturâ S. Petrum loqui non nego, absolutè siquidem de solis loquitur Prophetijs, nego tamen de solâ Scriptura S. Petrum loqui, cum exclusione omnium aliorum, ita vt nihil velit esse lucernam nisi scripta Prophetarum, de quibus solis loquitur. Eâdem ratione aio Scripturam, cum D. Paulo, erudire ad salutem &c. nego solam erudire. Contraria sentit de huius Scripturæ intellectu Lelius, solā Scripturam esse lucernam, solam ait erudire, quidquid scriptum non est, lucerna illi non est, erudire non potest. Vnde probat? ex hac ipsâ, de quâ inter nos controuersamur, Scripturâ; in quâ, quàm certum est, illam de solâ Veteris Testamenti Scripturâ loqui, tam certum est, illam alias, Noui scilicet Testamenti Scripturas, & Traditiones, tunc adhuc solùm regnantes (Ecclesiâ nullam adhuc, præter Prophetarum, ac Veteris Testamenti Scripturam, pro Verbo Dei agnoscente) non exclusisse. Prius rectè quidem pag. 86. in Scripturâ ait clarum esse, posterius neque si Nestor fiat, ostendet. Mouetur autem Lælius non modicis momentis, & argumentis, vt quasi in sententiâ suâ impetritus, dimoueri nequeat.

I. Ra-

I. Ratio.

Timotheus, ait pag. 87. iubetur in Scripturâ permanere; Scriptura ergo ſola vnicáque regula eſt, doctrinę Chriſtianæ.

Reſpondeo. Non iuberi Timotheum in ſolâ Scriptura permanere, ſed in ijs etiam quæ didicit, & credita ipſi fuêre: hæc non ſunt ſola ſcriptura; eris aliquis ſi probaueris eſſe.

II. Ratio.

Scriptura *vtilis eſt*, ita quidem, *vt homo Dei, perfectus fiat ad omne opus bonum instructus*; Ergo Scriptura continet perfectam, ait pag. 88 informationem.

Reſpondeo. Ex panno fit veſtis, ex ligno calidum hypocauſtum, ad hoc enim vtilis eſt pannus, vtile lignum; non ideò pannus ſolus veſtire, nec ſolum lignum calefacere poteſt: aut ad veſtiendum, calefaciendúmque omnia ſunt pannus, & lignum. vtile eſt atramentum ad formandas litteras, ſed & calamus ſcriptorius, tota ſcribendi ratio, in atramento ſolo, non conſiſtit. Vide Læli quàm inutilis tibi ſit iſta ſcripturæ vtilitas?

Ratio III.

Quemuis Chriſtianum certum eſſe in fide oportet, neceſſarium illi igitur erit, Verbum

Dei certum; hoc sola est Scriptura, teste Lucâ cap. 1. v. 3. & Lælio pag. 88.

Respondeo solam scripturam esse Verbum Dei certum, non Lucam, sed Lælium, quem non moramur, affirmare. certa sunt quæ scripsit Lucas omnia, non tamen omnia quæ certa sunt, neque solùm illa certa sunt, quæ scripsit Lucas; vnde enim certus fuit Lucas, qui nos de his quæ scripsit certos facit? an ex Scripturâ? ipse sanè horum suorum verborum veritatem, non ex scripturâ, sed auditione cognouit; ait enim, *sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis*. Habet ergo & Traditio suam certitudinem, non solâ scripturâ, idque constat ex eodem, quem pro solâ scripturâ citas, Lucâ.

Atque ita deniq; egregiè ostendit ista tam lepidarum rationum trias te nusquam minùs domi esse, quam in quâ perpetuò habitas, Scripturâ.

CAPVT

CAPVT VI.

De quæst. VI. art. VI. Script. Loq. Vtrum articulos Fidei Christianæ oporteat esse proscriptos, aut scriptos.

QVod Romanus Orator de M. Cælio dictitare solitus est, auctore Macrobio, Satur. 2. quem pro se dicentem elumbem, contra alios, potentem sæpiculè animaduertebat, *illum dextrâ, quàm læuâ esse promptiorem*; id ego de meo Lælio dicerem, nisi & ense, & clypeo impromptum, vtrâque adeò manu inualidum, tot modis cognouissem; neque enim contra me, neque pro se, feliciter perorat. Numquid verè hoc? iterum iudica Lector. Controuersia nobis est de Euangelio, de quo Apostolus cap. 1. ad Gal. ait, *Licet aut nos, aut Angelus de cælo, Euangelizet vobis, præterquam quod Euangelizauimus vobis, Anathema sit.* Quod illud sit Euangelium quæro? Scriptum ait Lælius; Ego scriptum nego, pag. 43. & seq. in *Linguario*, his de causis. Non enim Apostolus loquitur de omnibus quatuor Euangelijs, tria siquidem tunc tātùm extabant, quartum Ioannis, neque Paulus vidit. Non loquitur

de tribus, damnaret enim Anathemate Ioannem, præterquam quod Euangelizârunt tres alij, Euangelizantem: multóque minus de vno, alteróue, aut de ſuiſmet tantùm ſcriptis loquitur, ſcripta enim aliorum cenſuram Paulinam non euaderent. Si ergo neque de quatuor, neque de tribus, neque de vno, vel duobus tantùm Euangelijs, neque de ſuis epiſtolis, Paulus intelligi poteſt, ſaluâ auctoritate reliquarum ſcripturarum, quę tunc omnes ſimul nondum erant, nec intelligi poterant, quid ſupereſt niſi vt Euangelium illud de quo Paulus, dicatur eſſe Euangelium non ſcriptum, ſed Apoſtolis à Chriſto traditum, à Paulo & Apoſtolis prædicatum? hodie quidem partim ſcriptum, partim non ſcriptum? contra hoc, & præter iſtud, qui ſine auctoritate diuinâ euangelizat, Anathema eſt.

I. Reſponſum Lælij.

S. Paulum, ait pag. 92. intellexiſſe ſuam **doctrinam, Galatis prædicatam; illam autem non aliam eſſe, quàm quæ in Scripturâ Euangelicâ, Eccleſiæ, ab Apoſtolis, eſt relicta.**

Nullum reſponſum; exſpectabam autem categoricum, vtrum doctrina S.Pauli, ſeu Euangelium, de quo ad Gal. 1. loquitur Apoſtolus, fuerit ſcriptum, tunc cum hæc ſcripſit ad Galatas?

tas? Si tunc iam fuit ſcriptum, Anathema eſt Ioannes, qui præterquam quod Euangelizauit Paulus, primùm poſtea & quædam ſingularia, ſcripto Euangelio, prędicauit. Si ſcriptum nondum fuit, nihil tibi reſponſum profuit, quædam enim non ſcripta, anathematis ſecurá, nullâ deuotione Apoſtolicâ damnantur. Poſtea ſcriptum fuiſſe, lucroſum tibi non eſt, hoc enim modo S. Paulus ad Gal. 1. ea quę tunc ſcripta non erant, non reiecit, nec locutus eſt tantùm de Euangelo tunc ſcripto, cum ipſa eius doctrina ſcripta tunc nondum fuerit. Malè ergo citatum produciſti S. Paulum, & ſententiam tuam hoc argumento meliuſculam non feciſti.

II. Reſponſum.

Clariùs pag. 93. reſpondet, an errat? ait Euangeliū illud quod Chriſtus prædicari mandauit, à Marco eſſe ſcriptum. Marci. 1. verſ. 1. idque à D. Paulo Galatis Euangelizatum fuiſſe. Itáque vide quid reſponderis. Ille *qui euangelizat præterquam quod Euangelizauit Marcus* ſeu quod D. Paulus Galatis, *Anathema eſt.* S. Lucas ita Euangelizat, Ergo S. Lucas Anathema eſt; ſed ex doctrinâ Lælij. Propoſitio eſt Lælij, pag. citatâ. Aſſumptionem declaro: S. Lucas enim Incarnationem, Natiuitatem, & multa alia, Fi-

dei nostræ Mysteria, quorum ne mentionem fecit Marcus, euengelizauit; Ergo *præterquam quod* Marcus, & qui Marci Euangelium prædicauit Paulus, Euangelizauit Lucas. Ergo Lucas Anathema? anathema qui hoc docet.

Sed quâ fronte audes asserere, Marcum testari cap. 1. v. 1. se scripsisse illud Euangelium, quod Marci 16. vers. 16. Christus iussit prædicari? quæ, & quanta oris hæc est licentia? non est integra Christi doctrina, in Marco, at integram vtique prædicari mandauit Christus? quomodo ergò se scripsisse, quæ prędicari imperauit Christus, Marcus testabitur; & sciet se omnia non scripsisse? At partem scripsit? non probas ergo ex Marco, omnia scripta esse, sed partem, quę tibi nihil prodest, Euangelium enim quod Christus prædicari mandauit, non pars est sed integra Christi doctrina.

III. Responsum.

Negat pag. 94. vllius Apostolici scripti. 1. ad Gal. contineri damnationem. Mirum! tam ille suorum immemor est verborum? iam iam pag. præcedente dictitabat, illud Euangelium, de quo D. Paulus 1. ad Gal. loquitur esse Euangelium Marci. Si hoc est, damnatur Lucas qui plus scripsit, damnatur Ioannes, qui & ipse alia, à Marco, præsertim de æternâ eius genera-

neratione scripsit. Hi sanè, quia *præterquam quod Euangelizauit Marcus Euangelizarunt*, aliàs eadem tantùm prædicassent, in libris suis, sunt ergo Anathema, teste Lælio, nam S. Paulus aliter, (quàm Lælius intelligat) scripsit.

Quod si porrò tua interpretatio, cum mente S. Pauli consentiat, vt τὸ *præterquam quod* significet *Aliter*, perierunt omnia quatuor Euangelia S. Petrus, & Apostoli ad vnum omnes, omnes enim *Aliter* seu alio modo prædicarunt Euangelium quam D. Paulus, & vel Anathema sunt, vel vno ore testantur, te de illorum numero esse, qui S. Pauli epistolas deprauant, indoctum nempe, & instabilem.

Itaque non reijciuntur à D. Paulo omnia quæ scripta non sunt, sed quæ in Euangelio, quod Christus prædicari mandauit, & Paulus prædicauit, non sunt; illud autem Euangelium, scriptum ex integro non est, vt testatur Ioannes cap. 20. & non dicit Lucas Act. 1. quos Lælius à se stare confinxit, vt supra ostendi parte I. cap. 5. & 6. Itáque totum hoc caput falsæ suppositioni innixum, ruit.

CAPVT

CAPVT VII.

Fueritne necessarium omnes Articulos Fidei Conscribere?

NVllam esse, vel fuisse absolutam necessitatem, dixi in *Linguario*, pag. 9. argumenta mea dissimulat Lælius, & ad omnia alia, quàm ad ista, respondet; neque enim ad Christi, nihil istorum scribentis, nihil horum scribere præcipientis, auctoritatem, sat vocis domi habebat; multò minùs, sat illi firma constabant latera, ad variam quarumuis Scripturarum interpretationem, siue ad tam prolixam controuersiarum è scriptura quauis sacra & profana passim scaturientium materiam, absolutę scribendi necessitati admodum aduersam; respondere potuit; neque satis tegi latus videt, ad validissimam illam petitionem, quod nullus eiusmodi dogmaticus liber, seu Catechesis, in quâ, capita Fidei Christianæ, ex ordine, & non quasi per transennam, ac fortuitò quodammodo, provt cum historicâ narratione connectuntur, conscripta sint, ab Apostolis prodierit, è quibus absolutam scribendi Euangelij necessitatem, nullā fuisse, meritò concludimus. Itaque quæ cap. 7. *Clauis* suæ pag. 94. respondet Lælius, pro necessita-

ſitate, non valdè neceſſariâ, dicta ſunt, argumenta mea non ſoluunt, ſed ne præterita fuiſſe, Lector animaduertat, fumum ſpargunt, oculos ludificant.

Capvt VIII.

Vtrum Traditiones, poſt Scripturam Ioannis, in Eccleſiâ exſpirarint?

CVm lego Cap. 8. poſterioris partis Lælianę *Clauis*, videor videre picturam Apellis adſtantem, & vltra crepidam diſertum calceolarium; tam parum enim in illo Lælius, ad propoſitum, quàm parum Sutor ad eruditas Apellis lineas. Quid fatigas te, mi homo? quod tu pag. 99. ac deinceps reſponſitas, non pertinet ad meam quæſtionem, nec ad mea reſponſa: neque enim quæſtio eſt mihi, vtrum incudendis doctrinæ Chriſtianæ placitis, ſuæ ſpontis adeò fuerint Apoſtoli, vt illorum numerum variare, arbitratu ſuo, auſi ſint, vnde vnde illa accepiſſent. Hęc ſumma diſputationis eſt, vtrum poſt abſolutum vltimum Noui Teſtamenti librum, prohibitum fuerit Apoſtolis, quidquam aliud docere Eccleſiam, per ſolum ſermonem quod in libris illis non contineretur? Deinde cum

cum ante completos hosce, ex quibus hodie Nouum Testamentum constat, libros, Apostolici iuris fuerit, etiam absque Scripturâ quędam Fidei capita præscribere, quis illis tandem absolutis, in Nauiculâ Christi Pausarius, cessationem indixerit, & Traditiones, auctoritate omni spoliatas, in exilium ablegârit? Legisti, vir bone, quam pag. 13. *Ling.* adieci rationem? hanc nempe.

" *Ipsum Christum, & Spiritum Sanctum arctat,*
" *qui hoc ius Apostolis adimit, qui si nullum alium Fidei articulum tradere potuerunt, nihil noui, vel Christus, vel*
" *Spiritus Sanctus docere illos amplius potuerunt: adeóq; post absolutum S. Ioannis Euangelium oracula diuina obmutuerunt. Hîc Rhodus, hîc salta;*

Non tace, multóque minùs quæstionem hanc, dolo malo, interuersam, & nouis vestitã commentis produc; nemo nostrum dubitat Apostolis inconcessum fuisse, Fidei Christianæ capita, ex suo capite exsculpere, à Christo, & Spiritu sancto proficisci illa oportet: id vnum in dubio ponimus, vtrum absolutis Noui Testamenti libris, nihil amplius, vel Christus, vel Spiritus sanctus Apostolis dictare, nihil Apostoli quod in illâ Scripturâ non erat, ex isto fonte, haurire, & in Ecclesiam transfudere potuerint?

adhoc

adhoc nihil respondisti; hoc accuratè dissimulâsti, & ne viderêre tacuisse, probare orsus es, quę nemo improbauit, & nihilominus tamen, vt liquidam turbares aquam, non vno errore apertam Veritatem collutulâsti.

§. I.

Error Lælij, de mandato scribendi doctrinam Fidei, à Christo Apostolis dato.

DIxeram in *Linguario* cap. 6. pag. 12. & 13. Traditionum auctoritatem quæ in nascente Ecclesiâ, Christo adhuc nobiscum viuente, nondum scribentibus Apostolis, solæ regnabant, vtique, Apostolis tantùm scribere, vel riuos claudere iussis, sublatam fuisse; siquidem sine scripturâ credendos articulos proponere licitum non sit. Hoc ergo in præceptum, inquisitionem feci; & cum se in conspectum meum, quantumuis sollicitè scripturam pererrantis, non daret, opem mei inclamaui Lælij; sed & ab illo repulsus, cogor denuo Traditionum venerari auctoritatem, vtpote antequam scriptura esset, probatas, postea à scriptura nusquam improbatas, & antiquatas.

Et licet Lælius pag. 102. tam Scriptionem, quàm

quàm Traditionem, velit esse præceptam; & nec hanc ab illa, neque istam ab hac è medio tolli, aut impugnari etiam opinetur; errare tamen mihi, & Lectori graphicè illudere velle videtur. quid enimuero, Lęli, est Traditio? articulus nonne Fidei, in scripturâ expresè nō contentus? quomodo ergò præcepta, abs te proscribitur? si non præcepta, quomodo præcepta verè dicitur? At videtur Lęlius non de Traditionibus, sed de concionibus Apostolorum loqui: videtur ergò ad interrogata iterum tacere; videtur in voculis lusum, in re fucum facere Lectori, & pro Traditionibus, seu prædicatione articulorum Fidei non scriptorum, conciones, seu prædicationem articulorum Fidei scriptorum, de quibus nulla mihi est actio, substituere. Malâ fide istud, Læli, omine tamen non malo; ista enim ab instituto tibi tam familiaris deflexio, teneri te, & Veritati occultas dare manus conuincit.

§. II.

Scripturæ de mandato scribendi sed Lælianæ.

INter leges XII. tabularum quæsisset, hoc mandatum scribendi, Lælius, nisi tam certò reperisset, in sacris Voluminibus.

I. Scri-

I. Scriptura.

Ad Rom. 16. Clarè, ait Lælius, pag. 102. dicuntur Prophetæ iussi scribere; Ergò etiam Apostoli. Dicis Prophetas obscurè Fidei dogmata scripsisse, pag. 13. *Script. Loq.* non dicis tamen hoc ipsum de Apostolis: quid ita? non agnoscis paria inter illos omnia, & tamen hic facis? Iussi scripserunt Prophetæ; Ergo etiam Apostoli? Non omnia scripserunt Prophetæ ad Fidem spectantia, Ergo etiam Apostoli? Formam Baptismi, verbi causâ, omiserunt, vt fateris, Ergo & Apostoli? Voluerunt, & non viderunt Christum, Ergo etiam Apostoli? Apage cum huiusmodi consequentijs, pituitam mouent.

II. Scriptura.

Pag. 103. Clariùs adhuc, ex luculentâ iterum Scripturâ probat, Apostolis, vt scriberent, mandatum fuisse. ait enim Vnd ist der befelch genug das 2. ad Tim. 3. vers. 16. steht. Das alle Schrifft von Gott eingeben sey. Nimis liberalis es Læli, nam sic & fabulis Æsopi pondus diuinum appendes: Si enim *omnis* scriptura diuinitus inspirata est, & fabulæ Æsopi sunt scriptura, fabulę Æsopi diuinitus erunt inspiratę. O bellum scripturæ sacræ interpretem! ô cla-

ros ocellos qui in scripturâ legunt, quæ nemo scripsit! sed miseros ciues, & Rempublicam Onoldinam, quibus specioso Sacrę Scripturæ vocabulo, tot modis illuditur. Creditis Lęlio, an Apostolo, ciues Onoldini? vtrisque in hac causâ non potestis, contrarij sunt, aut admodum diuersi. Non scripsit Apostolus omnem scripturam diuinitus esse inspiratam, quæ Apostolus scripsit, Lælius dolo malo circumscripsit. audite Apostolum. *Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum.* Ergone rectè Lælius infert omnem scripturam esse inspiratam diuinitus? Omnis equus albus est vtilis, Ergo omnis equus est albus. Omnis arbor bona bonos fructus facit; Ergo omnis arbor est bona. Sed quomodo ostendet Lælius, suum illud quod confinxit mandatum, datum Apostolis vt scriberent; ex scripturâ debet; vt possit, illam corrumpere debet. Vt Marcum, verbi gratiâ, inspiratum, adeóque iussum scripsisse probaret, truncauit D. Pauli verba, sententiam euertit, & *Omnem*, eius auctoritate, scripturam diuinitus inspiratam pronuntiauit. Nunquam, mi bone, ex his, neque alijs sacrę scripturę verbis, Inspiratum scripsisse probabis Marcum, Ecclesia hoc, seu Traditio sola testatur, illa nobis sola dicit Euangelia quatuor esse Verbum DEI, scriptoribus illis diuinitus inspiratum. Nihil ergò

ergò tua ſcriptura hic probat, ſed falſariam manum paſſa, te bonâ fide non egiſſe demonſtrat.

III. Scriptura.

Eſt Apocalypſis : in quâ, pag. eâdem ait, Ioannem ſæpius iuſſum ſcribere. Ergò & alijs quoque Apoſtolis imperata ſcriptio. Mirum, nî dicam Apoſtolos comedere iuſſos volumina Noui Teſtamenti, nam mandatum tale & Ioanni Apoc. 10. & Ezechieli datum, cap. 3. conſtat ex ſcripturâ. Probabis ſanè eodem argumento, S. Lucæ mandatum ſcribere Angelo Epheſi, quia illud Ioanni in Apocalypſi præceptum. Sexcentas gerras gerit iſta tua argumentatio.

Et demus, quod eſt, inſpiratos, demus inquam iuſſos ſcribere Apoſtolos, ideone proſcriptas euinces Traditiones? vbi oſtendes omnia ſcribere iuſſos, ſi iuſſi ſunt ſcribere? ſi hoc non oſtendes, remanebunt tibi Traditiones, oſtendes autem facilè, conſuetis tuis argumentationibus : quædam iuſſus eſt Ioannes ſcribere, Ergo iuſſus eſt Ioannes, & alij Apoſtoli omnia ſcribere. σοφῶσ ! ita ſcilicet oportet probare, vbi quæ probanda ſunt, probari non poſſunt.

IV. Scriptura.

Mandatum Apoſtolis, vt Eccleſiam, fidei ſuæ certam efficerent; Ergò imperata illi ſcriptio, per quam Lucæ 1. Theophilus veritatem cognouit. Non poteſt aliter Eccleſia Chriſti certa eſſe? ſcilicet. certa fuit vtique antequam ſcriptum fuit. Vnde certus extitit Matthæus? vnde Lucas? vnde tot millia ab Apoſtolis, aliquot annis prioribus, conuerſa? Gentiles præſertim, quibus nec Veteris Teſtamenti profuit ſcriptura? Non potuit Theophilus certus eſſe, niſi ſcriberet Lucas? fuerunt profectò alij certi, ſine Lucæ Euangelio; ipſe Lucas adeò Traditione accepit, quæ ſcripſit, ſi certum ſcribendo fecit Theophilum, certitudinem Traditio dictatrix præſtitit vtrique. Vbi ergo nunc mandatum tuum Læli, nonne amandatum, datúmque

in mare Caſpium
Portare ventis?

§. III.

De Scripturæ Obſcuritate, natiſque inde Controuerſijs.

QVo pacto Scriptura ſacra ſit obſcura, & cauſa controuerſiarum, nihil attinet pluribus

tribus declarare, feci id in *Maculis Solis*, cum ad cap. 2. *Script.Loq.*respondi. Eò te mitto Lector, ego ad alia gradum promoueo.

CAPVT IX.

Vtrum S. Paulus nullum Fidei Articulum Thessalonicensibus tradiderit, hodie in scripturâ non repertum?

AD Ephemeridem Cratetis de quâ Laertius lib. 6. cap. 5. facit hoc capite Lælius Auctarium: in illâ siquidem Coco ponuntur minæ decem, Medico drachma, Adulatori talenta decem, Consiliario fumus, Scorto talentum, Philosopho triobolus. Ad hoc exemplum meus Lælius, in vanitatem liberalior, veritatem nullo videtur precio æstimare. Liquet hoc iterum ex isto capite, in quo me silentij accusat, & fugæ: quę enim in *Scripturâ Loquente* ex 2. ad Thess. 2. vers. 15. negabat deduci posse, quod Apostolus, licet plura illos per sermonem, quàm per epistolam docuerit, aliquid in sermone, scripturâ aliâ non testatum, tradiderit, pag. 113. disertè insoluta, illibata quoque à me, adhuc stare, ac firma esse iactat. Linguam audio, Læli, fron-

tem nondum video; miror quî hoc dicas. quid ergò eſt, quod ex SS. Patribus, hæc eadem Apoſtoli verba mecum explicantibus, pag. 22. *Linguarij* probaui? plurima Apoſtolos ſine ſcripturâ tradidiſſe, ſi nõ contra hoc tuum reſponſum? quid ex particula *Sine* conuinci poſſe inſinuaui, ſi non hoc? quid denique duabus paginis ſequentibus ex hoc ipſo 2. cap. ad Theſſ 2. D. Auguſtino teſte demonſtraui, ſi non iſtud, ad quod reſpondiſſe me negas? Itane verò cum tria ſint omnia, apud te ſint nulla? Parum cum vero, tua iſta iactantia concordat, minùs alterum, cum, vt inter galeatos lepores ſtabulari me perſuadeas, fingis me fugitorem, præteritis his, ad aliena declinare; epiſtolam ad Corinthios, relictis Galatis inſectari. Ego vero toto cap. 9, omnia de Galatis, nihil penitus de Corinthijs, & tamen vt illos eludam præteritione me vti audes dictitare? tu ſanè præteris, ſed veritatem.

Quod S. Pauli ad Corinth. 1. cap. 2. verſum 6. examini ſubmiſerim cap. 10. *Linguarij* feci, vt cognoſceres, non ſolos Gentiles, vt tibi videbatur, ſed etiam Chriſtianos, eſſe illos *Imperfectos, inter quos Apoſtoli non loquebantur ſapientiam in myſterio.* Atque inde deduxi non omnia ſcripſiſſe Apoſtolos, ſeu non omnia ſcripta exſtare, cum non omnibus omnia manifeſtarint, quod


quod vtique fecissent, si omnia scripsissent. Ad hoc quid respondet Lælius? vtitur præteritione, de qua me reum egit, & nihil ad consequentiam, sed tantùm causam adfert cur Apostoli quædam occultarint; negat igitur pag. 116. vel scripturæ vel Apostolis imputandum, sed potiùs occultata fuisse quædam, id ait quibusdam minùs capacibus, adscribendum. Verùm paruo id lucro dicit; siue enim calceus impar sit pedi, siue pes calceo, in eodem ponimus, res enim est vna.

Capvt X.

Utrum ob sanctitatem quidam articuli Christianis sint occultandi?

NEc moui hanc quæstionem, nec simile quid respondi: & audet tamen Lælius, saluo colore, dicere, me, in hac sententiâ, Lutheranis accedere? nihil ego de his, vel aio, vel nego, consequentiam tantùm talem à Lælio ex verbis Matth. cap. 28. expressam miror. *Docentes eos seruare omnia.* Nihil ergo cum Saturninis, aliisque Hæreticis occultandum, sed scripto omnia propalanda; quasi verò Christus ipse doctrinam suam, quam scripto non tradidit, occultârit, cùm id neget, à se factum, summo sacer-

doti? Hæc dum absurdæ consequentię oppono, Lælio Lutheranus fio; armat ea propter in me Doctores Catholicos; si iuberet præconem recitare tabulas, certiùs demonstraret; doceri enim, non audire tantùm volumus. Sed vidit quàm sibi curta supellex esset, maluit ergò de me mouere suspicionem, quàm scientiam, præsertim cum videret hac ratione meam consequentiam, & responsum, sine responso præteriri posse. Itáque non me mordent quæ ex Doctoribus Catholicis contra me produxisti, tametsi enim cum illis consentiam, hoc tamen loco, Socrates sum, & aio, *quod supra me nihil ad me.*



PARS



PARS III.

DE ARTICVLIS FIDEI Scripturæ sacræ non iasertis.



TAm fortunata non est sors Lelij, quam Medicorum, teste Nicocle, quorum secundos successus, sol aspicere, errores tellus solet operire. Nunquam sanè probã, à Lælio, ex Scripturâ rectè intellectâ, explicatâque Sol aspexit consequentiam; nullam enim adhuc fecit, in totâ suâ *Claue*; sed nec malas tellus abdidit, tam crasso enim erant filo ductę, vt qui eas eminus non cerneret, ille etiam alia certè cominus non videret. Non dico enimuero duo, & duo, esse viginti, quod de Platone gratiâ pro lagenâ vini redhibeas, apud Laert. lib. 2. iocabatur Diogenes: dico certè quod res est, & hac tertiâ Parte, etiam demonstro, Scripturam sacram *I. & VI. Cap. Script. Loq.* pro omniloquente Scripturâ allatam, nullo loco cum interpretatione Lælij posse consentire,

quomodo enim consentiret? Scriptura sacra id esse quod non est, dicere non potest: quomodo diceret, *Nullam doctrinam in Scripturâ sacrâ non expressam, credendam, & pro Fidei articulo habendam*, doctrina talis non vna cum sit, & reipsâ ab Ecclesiâ credatur? Hæc quia summa rei est, ideo, non vt bellarem, sed vt debellarem, *cap. 7. Linguarij* articulos aliquot Lælio, in Scripturâ mihi monstrandos dedi; quæ putas, Lector, me in *Claue* Lælianâ legisse pro articulis illis Scripturæ testimonia? ne vnum quidem; tot enim, & non plura, reperit in scripturâ. Quid autem ad has meas obiectiones responderit nihilominus, operę precium est cognoscere; audiamus igitur; iam enim regius cardo strepit.

TRADITIO I.

Hæc quatuor nostra Euangelia, esse Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, est vnus ex Articulis Fidei, aliàs non possent haberi pro Verbo Dei, sed nusquam reperitur in Scripturâ, hæc quatuor Euangelia, esse Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis. Ergò aliquid nusquã reperitur in Scripturâ quod est ex Articulis Fidei.

Lælij

Lælij Responsum.

AVres nunc tuas appello, & animi tui tribunal, Lector; expende triplex Lælij responsum, si vnum repereris in his tribus, Lælij sit pila; mirare adhæc mecum tam atrox, & pertinax Lutheranis bellum esse, contra *Traditiones*, quas & ipsi, si Biblia sua, in quibus vnis viuunt, salua, si *Verbum Dei* purum, putum volunt, tenentur acceptare. Audi ergò primum Lælij responsum.

I. Negat Assumptionem, ait enim pertinere ad historiam. pag. 135.

Quam enimuero illam? mi Prædicans; historiam quæ non sit Verbum Dei? at illi nemo credit, errare, & fallere potest omnis scriptura, quæ Dei Verbum non est. Ad historiam dicis ergo Euangelium spectare? sed parum promoues, sicut Manichæis Euangelia suspecta sunt, ita sunt & tituli, in quibus robur tui consistit responsi. qui negat Euangelium hoc esse Lucæ, epigramma quoque, seu titulum, non agnoscit. Pertineat licet ad historiam; sicut ergo historiam illam esse Verbum Dei, & illius auctoris cui inscripta est, probari ex Scripturâ debet, ita debet probari etiam, ex eadem scripturâ, titulus. de quo iam iam plura.

II. Ait

II. Ait pag. eâdem Ecclesiam id testari per titulum.

Macte: ita quidem ad lineam redis, sed quasi vertiginante cerebro. quid enim illud tuum, Vnd zeugts die Kirche jnnhalt der Vberschrifft. quid loqueris? quid verò etiam sentis Læli? an Ecclesiam testari per titulum, hoc S. Ioanni inscriptum Euangelium, esse Ioannis Euangelium? titulus ergò non scripturæ, sed Ecclesiæ est: Traditione igitur non scripturâ probas. Et cuiuscunque tandem sit titulus, ex titulo nihil probabis, si Euangelium Ioannis verum non sit Euangelium, titulus non faciet, nec ad illud pertinebit. Tituli testimonium nullum est, aliàs Euangelia Thomæ, Bartholomæi, aliaque Apostolorum inscripta nominibus volumina, à titulo auctoritatem, & testimonium accipient. Certè tu Epistolam S. Pauli ad Laodicenses apocrypham, epistolam ad Romanos Canonicam dicis: quid ita? nonne vtraque eodem nomine S. Pauli titulata circumfertur? Ridicula probatio; inscriptio dicit epistolam ad Laodicenses esse S. Pauli, ergò est S. Pauli. Multi libri magnis nominibus, magna texerunt mala, magnos errores colorârunt. Vertigo mera est, & lubricitantis, in glacie, pedis inutile firmamentum, cum ais, *Ecclesiam hoc testari per titulum*; solum enim Ecclesiæ testimonium producis, nihil enim

enim in titulo virium, nihil eſt reperire momẽti. Tolle Eccleſiæ auctoritatem, & titulum, & Ioannis Euangelium ſuſtuliſti. Soli Eccleſiæ credimus, quia titulo ſoli nihil credimus. Neſcimus titulum, & Euangelium eſſe Ioannis, ſi hoc non dicat Eccleſia. Soli ergo Eccleſię, ſeu *Traditioni* credimus, hoc eſſe Euangelium Ioannis, hunc eiuſdem titulum: Scripturę credere non poſſumus, quia hoc non teſtatur; citaret Lęlius non Eccleſiam, per titulum, ſed Scripturam hoc teſtantem, ſi Scripturam talem legiſſet, qui tam omnia legit in Scripturâ.

III, ait hoc Eccleſiæ teſtimonium par eſſe illi, quod Chriſto, & Apoſtolis viuentibus, dare potuerunt Iudæi.

Multùm erras Læli; ſi non ſolidiùs conſtat, id quod docet Eccleſia, quàm id quod dicere potuerunt, id temporis, Iudæi, auctoritas ſcripturæ non conſtabit. Errare teſtimonium Iudæorum potuit, & manifeſtè potuit errare; quis illo igitur adeò eſſe potuit certus, vt in cõtrouersâ re, illi, non verò contradicenti parti, aures, fidémque ſine ſalutis periculo, dare meritò debuerit? falli, & fallere potuerunt teſtes Iudæi, poſſit etiam hoc Eccleſia Chriſti? Veſtrã fidem Lutherani; næ vos periculosè creditis? Euangelium Ioannis, aliíq; Canonici libri Scri-
pturę

pturę Nouæ, Verbum Dei vobis sunt; quid ita? quia id testantur qui falli, qui fallere possunt. quid si etiam fallantur? quid si fallant? de neutro sanè securitas. in vtroque ergò periculum, & ideo vobis nusquam tuta fides. Sed ista secundaria sunt, tu Lector, quicunque, legis Clauem Lælianam, si legeris in eâ Scripturam, asserentem hunc titulum, & hoc Euangelium Matthæi, esse Matthęi, crede Lælium respondisse.

Appendix I. Linguarij,

Ad primam Traditionem declaratur.

VT trabem in oculo suo manifestiùs consideraret, Lælius, Traditionem hanc primã, in *Linguario* cap. 7. §. 1. quibusdam auctarijs illustratam explicatiùs proposui, sciscitatus quâ in scripturâ legeret, hæc quæ terimus Euangelia, pura, incorruptáq; esse, nullam ab Hęresi vim, nihil veneni à Typographis, à nullo malo stilo vulnus perpessa, circumferri; si quid enim adulterâ turbatum esset manu, credi Euangelio non posset, vbique suspectum esset.

***

Respon-

Reſponſum Lælij I.

Conſtare ex hiſtoria, Euangeliorum puritatem, ait pag. 140. & 135.

HIſtoriam Euangelicam non intelligo, citâſſet verba Scripturæ Lælius, iſtam ſi ſcripturam habuiſſet fauentiorem; hiſtoriam profanam, quam proba ſit, non admitto; nam articuli fide diuinâ credendi, à ſcripturâ ſeu auctoritate diuinâ non profanâ oriuntur, in quâ cum Euangelia omni erroris ſuſpicione libera non legantur, ſupereſt vt dicamus, Euangeliorum ſynceritatem, ex ſolâ Traditione certam, credendámque eſſe. Itaque nihil reſpondiſti Lęli, exſpectamus enim adhuc non multa verba, & magnas ambages, ſed clarum reſponſum, ex ſcripturâ diuinâ, à qua tanquam à tribunali C. Iulij Cæſaris, nefas ſit prouocare. *Clauis* vbi eſt, quæ hanc recludat Bibliothecam? Lælius tacet.

II. Re-

II. Responsum.

Dei prouidentiæ repugnare, vt Scriptura sacra impurata circumferatur.

PRodium hoc est, & λόγοι meraci, nec voluntatem Dei, nec prouidentiam improuidam facit, tametsi Scriptura exsyncerata, ac malam manum passa sit. Aduersus errores in fide, satis cautum Christianæ rei, etiam absque Scripturâ; Ecclesia audienda est, Petro Confirmatio fratrum data, & fides ideo sine dispendio impetrata, hic filum Ariadnæ situm & fuit olim cum scriptura etiam non fuit, & est iam, eritq; quamdiu Ecclesia erit. Quid magni autem sit Scripturam sacram ab adultero corrumpi stilo? vno, alteróue viduari doctrinæ Christianæ articulo? libri periêret, non possit vnus interire Fidei, ex scripturâ, articulus? Vbi liber Samuel videntis? vbi liber Nathan? vbi volumẽ Caiad, de quibus lib. 1. Paral. cap. vlt. Vbi parabolarum tria millia? vbi quinque millia Carminum Salomonis? 3. Reg. 4. Vbi Epistola Pauli ad Laodicenses? de quâ ad Coloss. vlt.

Perierint dices libri, nullus perijt Fidei articulus, hodiernâ Scripturâ non contentus. Magnum

gnum opus, si demonstrabis. Quid enimuero necesse multis? si vnius articuli, vel plurium, decessio, arguit improuidentiæ Deum, quid de tempore Christi inter viuos agentis, dicemus? quid de septennio post Christi in cœlos reditũ? Ecclesia sanè fuit, scriptura Noui Testamenti nulla fuit; prouidâ Dei voluntate nihilominus omnia suauiter disponente, & in omnem terram tunc exeuntem Ecclesiam gubernante. Potuit res Christiana salua esse, tot annis, sine scriptura, nouorum dogmatum, solâ Ecclesiam Traditione dirigente, & non possit idem, Scripturâ in paucis corruptâ? Ecclesia sine totâ scripturâ esse possit, & florere etiam; & cum parte vna perdita corruat? Nullo caussaris merito diuinam Prouidentiam, Læli; nullo tuam doctrinam defendis argumento.

Appendix II.

Ad eandem Traditionem declaratur.

PHaselitarum sacrificium specto, dum pro Luthero respondentem audio Lælium; sordidum illud erat, & à salsis pisciculis ignobile. Imò in hoc responso, ipsius etiam salis reperio parcimoniam, pisciculos insulsos, siue Capro,

vt moris erat, siue Caprimulgo, Deo certè hircum, quàm Numen potiùs olenti, oblatos. Nihil hîc liberale, nihil solidum, fumus merus, occulendę potiùs, quàm declarandæ apparatum Veritati responsum. Quæstio erat quo loco *Scripturæ*, Luthero id auctoritatis accreuerit, vt Biblia sacra eius crisi mutata, & si dijs placet, emendata, pro verbo meraco haberi, errore libera, eâque correctione, non infecta potiùs, credi deberent. Vide Lector quid ad hæc Lælius.

Responsum Lælij.

Ex ipso, quo Apostoli, & Prophetæ vsi sunt, idiomate constare, ait pag. 143.

FOetet hic quem sacrificas pisciculus, mi Prędicans. Nam I. à quo Lutherus censoriâ donatus sit vite, princeps, sed à te præterita, quæstio est; cur enim talis sine populi suffragio, aliâque auctoritate in Rep. Christianâ sacrorum Voluminum iudex, vindéxq; credatur, de cuius decreto lis nulla moueri, nulla sententiam eius suspicio arrodere, nulla crisin illam censura damnare queat? Nisi enim talis sit, vt extra omnem dubitationis, aut suspicionis aleam, supráque

práque erroris imperium positus consistat, nihil in Biblijs sacris inuncabit, nihil tollet, nihil addet, quod ritè factum adeò credi possit, vt verbo Dei refractarius censeri debeat, qui ea in re Luthero aduersarium se sistet. Cedo ergo, Læli, istius in Luthero auctoritatis in Scripturâ sacrâ testimonium. Taces? & quæ Lutherus sacris intulit, extulítque Biblijs, rectè illata, elatáque, habes pro Fidei articulo? non est hæc tuta iterum Fides; qui errare potest, Biblia emendare, aut mutare non potest, adeò, vt suspecta eius non sit correctio.

II. Neque verò etiam in Idiomate, quò Scriptores Canonici vsi fuerunt, errorum Biblicorum, si qui fuerunt, censuram accipies, Læli; vel enim Græcum, vel Hebraicum idioma, nulla erroris mixturâ tinctum, purúmq; est, vel labem cum Latinis Germanicísque contraxit? Si purum est, arrigò aures iterum, & testem Scripturam exspecto, nam imperitam librariorum negligentiam, vngues Hæreticorum, aliaq; euasisse pericula, vix adducar vt credam; & clarè non euasisse ostendit Bellarm: Cardin. lib. 2. de Verbo Dei. Si purum nec illud est, emendanda primùm cæterorum est regula; ad quod autem exemplum? Iterum taces. Ad Ecclesiam ab errore liberam, non ad idiomata, censores Scripturæ sunt amandandi.

III. Esto ex illo Scriptorum Biblicorum idiomate, corrigendi sint errores, qui in Scripturam irrepsêre; quò declinandum, cùm variat lectio, vel Hebræa, vel Græca? cum Doctorum discordant sententiæ? Quid censes factitâsse Lutherum, cum in nullo idiomate repertum, contra Patrum tam apertam doctrinam, suum illud Allein/ Scripturæ intrusit? cum alibi quædam erasit, & rotunda mutauit quadratis? Idioma hîc dubium est, & controuersum, in quam partem deflectemus? numquid ab Idiomate abibimus, & certitudinem alibi quæremus? at tunc nihil mihi abs te responsum est; & nec demonstrata ex Scripturâ indubia Lutheri auctoritas, nec ex idiomate dubio, clara, certaque sententia. Rectè Lutherum idiomata intellexisse, errare non potuisse, non etiam errâsse demonstrandum est ex Scripturâ, vt correctio pro Fidei articulo acceptari possit: in hoc labore mi Læli succubuisti, est enim plusquam Herculeus, & sibi pares lacertos nusquam habet.

Appendix III. declaratur.

Cùm te Scripturam vbique iactantem, nusquam cùm opus promentem, contemplor, subit admirantem sæpiculè Domitius Afer, imperitam Caussidici cuiusdam, apparatè, habitéque

que vestiti, dictionem increpans, eumque *hominem in agendis causis bene vestitum* compellans: nam vt præter vestem ille in forum nihil intulit, ita tu, nihil in *Claue* tuâ, præter inane Sacrę Scripturę nomen; vt in argumentis, responsisque tuis, scripturâ bene vestitum te, in scripturâ tamen malè versatum non possim non affirmare. In scripturâ quidem audacter iactas omnes articulos Fidei expressos, testatósque esse, sed ad hos, quos hactenus ostendi mihi postulabam, nulla adhuc domi fuit, illorum conscia: quid ad hunc denique dices?

Articulus Fidei est, hos, nec alios vsquam esse libros Canonicos; seu, Verbum DEI, in his, solis, quos hodie compositos, pro Biblijs sacris habemus, contineri. Scripturam hîc desidero duo pronuntiantem I. Hos libros Noui Testamenti, esse Verbum DEI. II. nullos alios præter istos esse, vel esse posse Verbum DEI.

Responsum Lælij I.

Rem præsentem hoc loqui, si pluribus opus fuisset, plures fuissent scripti inquit pag. 144.

ITterum solemnia respondes, iterum inquam malè. I. Rem præsentem in Scripturâ quę-

ro, non effugia. Sed nullam ſcripturam citas: fateris ergo nullam eſſe.

II. Quid autem res præſens loquitur? quod controuerſum eſt. diſceptamus de numero ſacrorum librorum; tibi Iacobi Epiſtola ſtraminea, mihi aurea eſt. quæ litem conteſtatam dirimit ſcriptura? hanc quæro. Lælius iterum tacet.

Reſponſum II. Lælij.

Eccleſiam plures libros hodie Canonicis annumerare non poſſe, ait pag. eâdem, quàm quos à Prophetis, & Apoſtolis accepit.

QVid ſi Epiſtolam S. Iacobi, à Doctore omnis Veritatis, cognoſcat non eſſe ſtramineam? quid ſi alios Machabæorum, Regum, Prophetarúmque quos vos reijcitis libros doceatur eſſe Canonicos? Non poteſt ais, quia non ſunt? Sola opinio eſt, ex qua loqueris, da ſcripturam teſtem, non eſſe; huic ſoli credimus, hoc loco, ſola enim illa contrauerſiarum harum iudex eſſe debet, ita conuenit inter nos. Si ſcripturam non habes, rem habes incertam, an non certam Spiritus ſanctus efficere poteſt? Habe-

Habebit tunc Ecclesia vestra, de qua loquor, plures libros Canonicos. Sed quid moror tam rancida commentas? satis luculentum est, erroris esse amicula, necessitatis fundamenta, non veritatis.

Responsum Lælij III.

Nec alios, nec plures ab Ecclesia nascente pro Canonicis propositos fuisse teste Ecclesiasticâ Historiâ dicit pag. eâdem.

SCripturam, Læli, testem dare oportebat, pro fundamento articuli Fidei, vbi est? iterum tacet? accipio tamen Historiam Ecclesiasticam, sed vnum miror, illam iam tibi tanti esse: an spes est te iam eminus conspexisse Pontificiam in Ecclesiâ potestatem? siquidem Historię illi, in Patrum scriptis, vt ais, fundatæ, non ignotum legimus Papam. Vide *Modium* meum, in quo Patres eiusmodi, Auctoritatis Papalis testimonia, non modio, sed trimodio admensus, eadem tibi de Papâ, quæ tu, de libris hîc Canonicis, ex eodem fonte, acclamante ipsâ insuper à Patribus ijsdem, mecum intellectâ scripturâ, probaui. Historiam hanc si repudias, nec istâ

necesse est te tuearis; nisi fortè in tuâ sit potestate, quid velis, quidue nolis pro Fidei articulo acceptare. Accipio denique & istud, Ecclesiam, non scripturam, proposuisse nobis, pro Verbo DEI, libros Canonicos Noui Testamenti.

Corollarium.

COronanda sunt hæc responsa Lælij, ad primam *Traditionem* data, non victrice lauro quidem, sed ferali buxo; nec quia coronam, sed quia notam meruêre; vt cognoscat Lector, quàm facilè homini fuerit, Scripturam omniloquentem introducere, quàm ex illâ non facilè quæuis loqui; quàm vanum denique Traditiones reprobare, ex Scripturâ: quàm *Clarè* enim illa, omnes omnino, loquatur articulos, *Clauis* ista aperit, quæ non potuit in Scripturâ reperire.

I. Hæc quatuor Euangelia illorum esse, quibus sunt inscripta.

II. Scripturam Euangelicam esse Verbum DEI.

III. Hos libros, & non alios esse, vel esse posse Verbum DEI. Iacobi epistolam esse Stramineam; epistolam ad Laodicenses non esse S. Pauli.

IV. Biblia à Lutheri correctione fuisse emendata, non

ta, non viciata; eiusque auctoritatem tantam esse, quæ nec falli, nec fallere possit.

Ergone vos Lutherani creditis Lælio? tibi verò, in perniciem tot animarum nato, verecundiæ non sit docere, Ioannem c. 20. Lucam Act. 1. aliósque, quos in *Scripturâ* tuâ *Loquente* citas scripsisse, omnes omnino Fidei Articulos, etiam *Clarè* scriptos; non scriptos, proscriptos esse? Isti certè articuli Fidei sunt, quos hîc legis, in nullâ tamen Canonicâ Scripturâ sunt; citasses librum, caput, Apostolum si in Scripturâ legisses, Epistolas S. Pauli esse Verbum Dei, quatuor Euangelia esse Verbũ Dei. Scripsisse Paulum, scripsisse Lucam legis in Scripturâ, Paulum, Lucámque scripsisse Verbum Dei, hos eorum libros esse hoc non legis in Scripturâ & credis tamen nobiscum? aut Hæreticus es. Cui credis igitur Læli, nonne Traditionibus? quas tu pag. 144. Historiam Ecclesiasticam vocas, vt Lectorem Ecclesiastico vocabulo profanissimè decipias. Historia Ecclesiastica, ab Euangelicâ quæ etiam Ecclesiastica dici potest, multùm differt, hæc enim Articulos Fidei facere, illa factos tantùm referre potest.

II. TRADITIO.

ARticulus Fidei est, Sacram scripturam certum habere sensum, contrarios recipere non posse; Verbi causâ; in verbis Lucæ 22. v. 19. *Hoc facite*, vos dicitis præceptum contineri de vtrâque specie, nos negamus. ex nullâ Scripturâ vos præceptum demonstratis, & ad mentem vos dixisse Spiritus sancti creditis? creditis ergò quod in Scriptura non legistis?

I. Responsum Lælij.

Ex claris Scripturæ verbis, ait pag. 146. patet Spiritus Sancti sententia.

AIn verò? ex claris Scripturæ verbis? tu ex claris Scripturæ verbis in Lucâ præceptum clarè videas, sub vtrâque communicandi, ego verò, cum tot, tam antiquis oculis, per tot ætates, annis ampliùs mille sexcentis, præceptum in illis nullum penitus videam? næ tu clarè iterum erras Leli; alteruter nostrum non videt, quòd se videre clarè credit. Sed vt te cum tuis, missu magis familiari, committam; cur vos Lutherani, qui omnia in Scripturâ clarâ, clarè videtis,

detis, in tanto versamini motu? cur de præcipuis Christianæ doctrinæ capitibus, mysterijs Incarnationis, Resurrectionis, Ascensionis, alijsque, sententias non concordatis? numquid non pro sensu germano sacrarum paginarum compugnatis? Antiquiùs quàm pro Helenâ bellum, pro *Vbiquitate* Christi, belligeratis, nunquam finitis. Matthæum cap. 18 & 28. illi suum volunt, volunt & alij. His S. Paulus ad Eph. 4. loquitur placentia, alijs ibidem longè alia. quos Hassi, Saxonesque vestri Doctores citant, negant ita sentire Wirtenbergici. His sua Scriptura clara, illis sua: ex clarâ vtrique scripturâ disserti, certique sunt, quî enimuerò istud? Vtriq; sanè cum tota vestrâ Ecclesiâ errare potestis, (quod tu prolixè probas cap. 8. *Script. Loq.* & ego per facilè credo) vnde ergò tanta vobis certitudo? errare vos, & de Scripturâ rectè intellectâ certi esse possitis? non potes Læli, de sensu Scripturæ ex Scripturâ in quâ errare, errorem docere, docerique potes, certus esse, eo quo fidem certam esse oportet modo. Vbi ergò clara tibi erit Scriptura, in quâ & tu, & Ecclesia tua, errare potest? Alibi igitur sensum scripturæ certum quàm in Scripturâ quæras licet; vbi autem si non in Traditione, Scripturę, & omnium articulorum Fidei parente?

II. Re-

II. Responsum Lælij.

Discordiam sectarum, ait pag. eadem, non Scripturæ, sed Sectarijs imputandam.

SCriptura Lælio clara est, ningat, pluatúe varius Iupiter; sed errat grandinante licet Ioue; ostendi id clarissimè in *Maculis Solis*, ad cap. 2. *Script. Loq.* Neque verum est, Sadducæos consultò, cognitâ Scripturæ Veritate, à regio calle deflexisse; Christus errâsse illos quidem, sed errâsse *nescientes Scripturas* dixit, non scire nolentes, quod tu confingis; nullum ergò in Sadducæis, Scripturæ claræ est patrocinium. Si omnibus passim pateret scriptura, ipse errasset Christus: quid enim Patri suo Cœlesti confitetur, quod absconderit mysteria Fidei suæ, quæ clarè in Scripturâ omnia, ais, contineri, & reuelârit illa paruulis? nulli abscondita esse possunt, quæ omnibus sunt clara. Si nolentes duntaxat Scripturam non intelligunt, ipsi sibi, non Cœlestis Pater, illam abscondunt; neque enim nolentes Deus, sed priuata cuiusque malitiâ facit. Et esto Sadducæi intellexerint Scripturam, ideóne omnibus erit clara? Difficilia intellectu, seu obscura, reperies non in Prophetis tantùm, sed in

in ipsis S. Pauli epistolis, Scriptura teste. 2. Petri &c. qui in his hallucinatur, Lector, non tantùm suæ imbecillitati, sed & lectionis difficultati, meritò adscribet. Neque tamen ideo culpa Scripturæ imputari debet, cui addita est Ecclesia interpres; tametsi enim moralis causa sit, seu materia circa quam ob arcana Dei, rerum contentarum, verborúmque difficultatem, errari potest, culpa tamen non in Scripturâ, sed in solo lectore interpretem Ecclesiam negligente, residebit, causa in vtrisque: Nihil ergo iterum respondisti, quia neque ad rhombum, neque verum respondisti.

III. Responsum.

Iesuitarum, non Christi, aut scripturæ, esse Communionem sub vna, ait pag. eadem.

Nihil de vitello Læli? vbi postulata scriptura? si fuisset, pridem adfuisset, nec trino opus fuisset responso. Et nesciebam sanè Communionem sub vnâ, à Iesuitis descendisse, nam neque Iesuitas à primâ statim Ecclesiæ origine fuisse necesse est, in quâ suo loco ad Cap. *Script. Loq.* sub vna communicatum fuisse demonstrabo.

bq. Iam nunc tamen hoc miror controuersiam istam hoc loco moueri: ad controuersias, Læli, per controuersa non respondetur, sed à responsis. & materiâ cæpta, hoc modo abitur; quod consultò abs te factum, nullus dubito, sciebas enim responsa tua, ad hanc Traditionem, non constare, vt sub iugo non viderêre, controuersiam vulgarē, quâ os populi te meriturum non ignorabas, obiecisti; sed aliena reresponditi Scripturam postulanti.

Corollarium.

SIsto tibi iterum, Lector, nihil respondentem Lęlium; non reperit in Scripturâ, se cum scripturâ, in controuersijs scripturę, sentire; reperit tamen in scripturâ se in fide, cum totâ suâ Ecclesiâ errare, & docere etiam errorem posse, quod cap. 2. *Script. Loq.* demonstrat. Quomodo igitur credit, cum ex scripturâ se certum esse non cognoscat? quomodo credit; cum ex scripturâ certò cognoscat, se in illâ errare posse, adeoque de sensu scripturæ se certum esse non posse? Vnde igitur denique constabit Lutheranis, de mente Spiritus sancti, in Scripturâ, vel nobiscum, vel inter suos controuersâ? non ex Scripturâ, vt dixi, nec ex Traditione, seu vsu. & anti-

antiquâ primorum sæculorum explicatione, nam illam cane peius oderunt, & angue: neque enim quæ hodierna capita spuunt, ex antiquo descendunt cerebro: nisi reperirent Patres, controuersas scrpturas aliter intelligentes, Lutherani, non ad solam scripturam prouocarent, scripturam claram vbique non contenderent, sed Traditioni, seu Ecclesiæ plus deferrent, & scripturam certiùs intelligerent.

TRADITIO III.

ARticulus Fidei est, certum esse sacramentorum numerum, nec dubium esse potest, clarè in primâ Ecclesiâ, omnibus fuisse cognitum. Vbi verò hodie numerum illum legimus, clarè expressum, in scripturâ? quæ secta rectè numerat, & ad calculum Ecclesiæ primò institutæ? nec vtrum sint, nec quid sint, nec quot sint sacramenta, habemus à scripturâ.

Responsum Lælij.

Tantùm duo se reperire in scripturâ, quæ sint sigilla Fidei Iustitiæ, consistentis in remissione peccatorum, per Christi sanguinem, ait pag. 147.

QVot in dorso Echini tela, tot in hoc responso reperio errores; hos inter quatuor eminent.

Error

Error I.

Nec claram iterum ſcripturam, de numero ſacramentorũ, citat, nec ad quçſtionis punctũ reſpondet. Non quærimus quot Lælius recenſeat ſacramenta, ſed vbi ſcriptura, numerum ſacramentorum, omnibus in primęua Eccleſiâ clarè notum, clarè nobis notificet; & quænam ſectarum rectè ſacramenta Eccleſiæ adhuc numerârit. Numerat Lęlius duo, non neſcimus: plura non numerat, & hoc ſcimus: vtrum ex ſcripturâ, & rectè numeret, hoc neſcimus præſertim ex ſcripturâ.

Error II.

Rectè ſe duo tantùm numerare affirmat, ex definitione; quânam DEVM immortalem illâ? Ex Apoſtolo, ad Rom. 4. verſ. 11. ſumptâ, in quo *Signaculum iuſtitiæ Fidei* legerat. Iſtane verò ſacramenti eſt definitio Læli? ſcripturam cita, mereri ſi velis fidem; ſcripturam inquam cita, non in quâ hæc verba legam, hanc nouimus, ſed in quâ legam hanc eſſe Sacramentorum Nouæ Legis definitionem, illam enim quærimus in ſcripturâ multis ſæculis, nullo inuenimus. Aſtra matutina, & omnes in agro manipuli te vnum adorabunt, Læli, totúmque plauſu

plausu cæli remugiet theatrum, si hoc euiceris, ex Scripturâ.

Error III.

Ex definitione istâ concludit porrò Lælius, tantùm duo Sacramenta, seu signacula iustitię Fidei, consistentis in remissione peccatorum per sanguinem Christi, reperiri in Ecclesiâ. Errat autem, vir bonus; signacula enim talia, plura duobus, agnoscit Scriptura: vel enim signaculum istud remittit peccatum, vel est præteritæ remissionis duntaxat signum, pro vt Circumcisio signum erat iustitiæ, in præputio acquisitæ: Si peccatum remittit, Eucharistia non est Sacramentum; vt enim fructuosè sumatur, dignè, ac sine peccato, sumi debet, *qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit.* quid igitur remittet, vbi quod remittendum est, abesse debet? Erit insuper & pœnitentia Sacramentum, in quâ exterior absolutio, interioris signum est, *quorum enim remiseritis peccata remittuntur eis.* Quin & vnctiò illa, Iacobi 5.v.14. erit Sacramentum, *Vngentes illum oleo &c. & si in peccatis fuerit, remittentur &c.*

Quòd si deinde signum esse contendas præteritæ, & iam acquisitæ iustitiæ, seu remissionis peccatorum, Baptismus non erit Sacramentum, debet enim ille remittere peccatum

 origi-

originale, aliaque peccata. Erunt enim præter hæc Sacramenta, impoſitio manuum, poſt collatum Baptiſmum, conſueta Eccleſię, Act. 8. v. 17. quâ ſacro lauacro tinctis iuſtitiam Fidei iam habentibus Spiritus ſanctus conferebatur. Impoſitio etiam manuum Epiſcopalium, quâ Epiſcopi, ac Sacerdotes conſtituebantur, 1. ad Tim. 5. v. 22. & alibi. Erit & celebratio ipſa feſti Paſchalis, in ſignum iuſtitiæ Fidei, ſeu remiſſionis peccatorum, per ſanguinem Chriſti inſtitutam, Sacramentum. Plura itaque ex hac definitione fient Sacramenta, vel ſi malis pauciora.

Error IV.

In Eccleſiâ naſcente, antequam ſcriberentur Euangelia, conſtabat inter omnes, quidnam eſſet Sacramentum, quot, & quænam Chriſtus inſtituerit; quæ Scriptura autem, explicatè hoc tradidit? nulla de ſacris, Eccleſiaſticæ quidquid hîc ſcimus debemus Hiſtorię, abſque hac foret, nec Sacramenta inſtituta fuiſſe, Eccleſia ſciret, vt taceam quot, & quænam. Quid quærit autem reperiſſe ſe iactat ergo Lælius in Scripturâ? ad Traditionem nobiſcum abeat, vel Sacramenta à Chriſto inſtituta fuiſſe omnino neget.

Corol-

Corollarium.

REduco in arenâ iterum succumbentem Lęlium, nusquã in Scripturâ clarè expressum, Sacramentorum monstrantem numerum; nusquam ex Scripturâ definitionem à se allatam, probantem, esse veram Sacramentorum Nouæ Legis descriptionem, vel à Scripturâ ideo latã, vel ab Ecclesiâ pro tali definitione vnquam agnitam. vnde quid de binione Sacramentorũ Lutheranorum, vel ternione, eorum Lutheranorum qui aliter, quàm Lælius, Sacramentum definiunt, sit sentiendum, constat; sicut enim descriptionem hanc esse Sacramentorum Nouæ Legis, nec ex mente Apostoli, aut Ecclesiæ, aut Scripturæ probare potest, ita nec duo probat esse tantùm Sacramenta. Exspecto itaque adhuc Scripturam, vel articulum Fidei reperio extra Scripturam.

TRADITIO IV.

ET Christum Apostolis, & Apostolos Ecclesiæ tradidisse clarum est, in quo consistat essentia Sacramentorum, quo nempe ritu, Baptismus conferri necessariò debeat, vt sine illo, nullus sit. Quid de his Scriptura? formę, quam nos Traditione Ecclesiæ habemus, verba refert;

nuſquam tamen illa pro formâ proclamat, nuſquam dicit pronuntianda, ita vt per ſcripturam, abſque vocali eorum elocutione, liceat baptiſare, quandoquidem, etiam tacentes, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti poſſumus quidpiam pręſtare. At hæc cum ſint ad Fidem, & ſalutem ſcitu vnicè neceſſaria, & in ſcripturâ non contenta, nonne euincunt, articulos Fidei neceſſarios, non omnes, ne dum clarè, eſſe ſcriptos?

I. Lælij Reſponſum.

Clarè, & expreſsè, hæc verba, eſſe proferenda, ſcire ſe ait pag. 147. ex inſtitutione Chriſti, Matth. 28. verſ. 19.

AVdio verba, ſed non Scripturæ. crepas Matthæum, in quo verba reperis, quæ iam pridem, priuſquam etiam Theognis naſceretur, legi in Matthæo; hæc autem mea nunc curatio non eſt, vt verba iſta quæram, in ſcripturâ; quæro tantùm in ſcripturâ, quo illa loco, pro formâ Baptiſmi agnoſcat, quo loco mandet in Baptiſmo illa articulatim, ac ſyllabatim pronuntiari debere, nec ſufficere intentionem baptiſan-

ptiſandi, in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſicut ad alia opera, in honorem SS. Triadis præſtari ſolita, ſola intentio ſufficiens eſt. Ad hoc reſpondendum erat Læli, ſed hæſit aqua.

II. Lælij Reſponſum.

Non mutum, inquit, eadem pag. & clancularium Chriſtus inſtituit Baptiſmum, ſed publicum, & Baptiſatis manifeſtum.

Conſequentia hæc, & deductio à ratione, & probabili cõiectura, nulla probatio ex Scriptura eſt, quam ſolam, & te quidem ſponſore, *Claram*, in articulis Fidei, pręſertim vnicè neceſſarijs ad ſalutem, inquirimus. Sed ad ſolem, & ſolarium, Læli, cum tuâ conſequentiâ. Chriſtus inſtituit Baptiſmum; Ergò non inſtituit mutum, & ſilentem, ſed manifeſtum. Nego conſequentiam mi Philoſophe, & probandam ex Scripturâ arrectis poſtulamus auribus,

intentiq; ora tenemus.

Hæc lis noſtra eſt, vtrum ex Scripturâ, an ex Traditione conſtet, vocalem, non mutum à Chriſto fuiſſe inſtitutum Baptiſmum. Ex Scripturâ ſanè

mutum non repelles, tam enim in Nomine Patris &c. baptiſari tacitus quis poteſt, ex mandato Chriſti, quàm comeſſe, ac bibere, in Nomine Domini noſtri, ex mandato Apoſtoli 1. ad Cor. 10. ſolius poculi deſiccatione tacito ſuo propoſito, & verbis Apoſtoli non recitatis. Et putasne etiam, ad ſingula quæ in nomine Domini ſunt facienda, addendum, hoc facio in nomine Domini? nemo qui ſuæ mentis eſt, ita delirabit. Adhęc muta actio, publica omnino eſſe poteſt ac manifeſta; nam qui alteri colaphum in foro ducit, tametſi tacitè tacuerit, publicè tamen percuſſit. In publico, ac manifeſto vxor tua lauat, tametſi tacita lauet, tacere tam diu ſi poteſt.

III. Reſponſum.

Adnectit Chriſtus Baptiſmo doctrinam, & prædicationem, inquit pag. 148. Ergò forma Baptiſmi publicè enunțianda eſt.

SCripturam Læli, non rationes peto; ſed nec Scripturam video, nec rationes. Proba I. ex ſcriptura ad Baptiſmum requiri neceſſariò concionem, vel Catecheſin; & quia negare non potes, validè ſine his, conferri infantibus Baptiſ-

ptiſmatum, vide ipſe, qualem excluſeris conſequentiam. II. Ex eâdem oſtende in Concione prædicandam formam Baptiſmi, aut prædicatam ad Baptiſmi valorem neceſſariò pertinere. III. Baptiſatos baptiſmi ſui certos eſſe debere, nec eſſe poſſe niſi formâ enuntiatâ. Nihil horum habes in ſcriptura, nulla ergo conſequentiæ huius, cum antecedente, poteſt eſſe connexio.

IV. Reſponſum.

Cum Baptiſmus, ait eâdem pag. ſit fædus cum DEO, neceſſe erit formam fæderis, in Baptiſmo, exprimere verbatim.

QVando tandem ex Scripturâ articulos Fidei demonſtrabis? iſta enimuero ratio iterum eſt, non ſcriptura. Hem qualis autem ratio? Numquid enim, vt fædus feriatur, in ipſa fæderis pactione, verba iam ante conuenta, ſunt repetenda? numquid non ſatis eſt cognitis pactis, conſentiſque, ſolo, eóque muto dexterarum ſtipulantium coniugio, fædus paciſci? pactumne ita infringes? immeritò quidem, Et pactum licet ſit Baptiſmus, pa-

ctum cum DEO est, cui affectus loquitur, & cum tali quidem homine, qui plerumque nec percipere pacti verba potest, vt nihil dicam ex Scripturâ nondum ostensum, hæc verba, formam constituere Baptismi.

V. Responsum.

Cui bono, ait eadem pag. mouetur ista in Linguario *controuersia, metuitne auctor formæ suæ Latinæ, cuius occasione quandoque sacerdotes Catholici Cacodæmoni, non Christo, baptisant?*

ITerum ad Triarios res tua rediijt; quæris iterum mantellum verecundiæ tuæ; erubescis toties *Scripturam Loquentem* elinguari, ideo enormia ista Ecclesiæ dedecora profers, vt præ his minùs in luto hæsisse conspiciaris. Et quæso te, quid mihi tecum, de Latinâ Baptismi formulâ, controuersum nunc est? per me, hoc loco, quouis idiomate pronuntiari potest; quæstio sola est, vtrum aliquo debeat? Respondes vt soles, non debere Latino, causam habes oppidò grandem, abusum sacrilegorum sacerdotum.

tum. quid si eâdem lege, & vernaculam, & quamuis linguam expungas? putas à nullo Prædicante, vel obstetrice, infantes Stygi mancipatos fuisse patrio idiomate? parum in historiâ domi es; protocolla, tuæ etiam Sectæ Magistratuum, necdum peruidisti. Et quid refert audiri, ac intelligi baptisantis verba, si absit animus baptisandi? tam parum tingens infantem, pronuntiatâ formâ (si desit animus, & intentio baptisandi) verè baptisatos efficit, quàm ad mensam legens Apostoli verba, institutæ Eucharistiæ, 1. ad Corinth. 11. facit in prandio communicantes. Sed hęc aliò spectant, ad nostra redeundum est: interea propter abusum, bonus vsus non est tollendus.

Corollarium.

VIdes Lector Lælium iam quartum quæsitos in Scripturâ Fidei articulos non inuenisse; adeoque

I. Ex Scripturâ non constare, hæc verba Matthæi 28. esse formam Baptismi.

II. Nec vtrum vsurpanda, & enuntianda sint, à Scripturâ definiri.

III. Lælium non intellexisse Ioannem, cap. 20. & Lucam Act. 1. aliosque, cap. 1. & 6. *Script. Loq.* citatos; solus enim hic articulus Fi-

 dei,

dei, Scripturæ ignotus, non posse hoc scripturam loqui, quod ex illâ vellet Lęlius audire, conuincit.

TRADITIO V.

PRima etiam Fidei Christianæ principia, Traditioni obnoxia voluisse Deum, Ecclesiæ Conditorem, ostendit etiam Spiritus sancti Mysterium. Fide diuinâ credimus Spiritum sanctũ à Filio etiam, non à Patre tantùm, procedere, huius ego mihi legi tabulas, ex scripturâ, postulaui in *Linguario*, pag. 17. audi Lector responsum.

I. Lælij Responsum.
pag. 150.

Ioannem cap. 15. v. 26. ait, claris verbis testari, Spiritum Sanctum à Patre, Filióq; procedere.

TAndem itaque audimus Scripturam: quâ quid apertius? *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* Si mittit Spiritum sanctum Filius, procedit ab illo, mitti autem dicit hîc Scriptura; Ergò dicit etiam procedere à Filio. Itane verò omnis qui ab alio mittitur, intrinsecè ab illo procedit? quæris aquas in aquis, an

an ſcirpum in nodo? de quâ miſſione loquentem hîc aúdis Chriſtum? internáne? erras; de miſſione, in feſto Pentecoſtes impletâ loquitur, de quâ cap. 16. *Si non abiero*, inquit, *paraclitus non veniet ad vos, ſi autem abiero mittam eum ad vos.* Hæc vtique non interna, ſed externa, in linguis igneis facta miſſio eſt; ideo *Mittam* ait, & *veniet* pridem miſſus, pridem venit Spiritus Sanctus, miſſione internâ, non primùm tunc mittendus erat. Audi porrò, ſuorum verborum clariorem adhuc interpretem Chriſtum, ſubiungit enim, vt, niſi omnes in corrumpenda Scriptura neruos intendiſſes, facilè luce clariùs videres, Chriſtum de externâ miſſione, ſermonem inſtituiſſe. *Cum autem venerit arguet mundum, &c. docebit vos, &c.* Si de internâ dixiſſet, non tunc primùm arguere mundum, non docere tunc primùm diſcipulos, occeptâſſet Spiritus ſanctus, venerat enim iam multò ante, Filio ab æterno Spirante.

Clariùs ſanè ex hac ſcripturâ, contra te quàm pro tuâ doctrinâ concludes, à ſolo Patre Spiritum ſanctum procedere, non etiam à Filio, cuius verba, quæ tu allegas, hæc ſunt; *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, Spiritus Veritatis, qui à Patre procedit* non ſanè dicit, qui à Patre, & à me procedit. Imò nuſquam Spiritum ſanctum leges procedere à Filio, in ſcriptura, à

ra, à Patre non ſemel. Atque vt verbo concludam, quàm rude ſit argumentum, exenteremus illud; mittitur à Filio Spiritus ſanctus; Ergò procedit ab illo. Habeo in pari conſequentiâ reſponſum Læli. Mittitur à Spiritu ſancto Filius, Iſaiæ 61. verſ. 1. & Lucæ 4. verſ. 19. *Spiritus Domini ſuper me, ad annuntiandum manſuetis miſit me, &c.* Ergo Filius procedit à Spiritu ſancto. Hæc ergò ſcriptura tua, rem aliàs veram non demonſtrat.

II. Reſponſum.

Idipſum ait pag. eâdem, teſtatur idem, cap. 16. v. 15. Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt.

AN & Paternitas? nihil ſanè excipitur. Si hanc excipis, liceat & mihi excipere Spirationem, quantùm quidem ex hac ſolâ ſcripturâ probari poteſt, imò & alia multa, cum hîc Chriſtus de ſcientiâ ſuâ, cum Patre communi, loquatur tantùm; ideo enim, ſubdit *propterea dixi,* (quia ſcilicet omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt) *quia de meo accipiet, &c.* Atque adeo nego eſſe claram hanc ſcripturam, imò velut dubiam non admitto, pro demonſtratione claræ ſcripturæ, dè quâ agimus.

III. Re-

III. Responsum

Ad Gal. 4. v. 6. dicitur Spiritus Filij, ergo procedit à Filio.

PEnè victas me cogit manus dare Lælius, tam claris me expugnat Scripturę verbis. Numquid enim de nihilo est, quod à D. Paulo Spiritus sanctus dicatur *Spiritus Filij*? quomodo hoc, nisi à Filio procederet? Ego verò nec terreor, nec teneor, funes istos quam recentes sint, & valentes, ex facili rumpo cum Samsone. quid enim in hoc argumento virium? probatne Lælius, Deum Patrem procedere à Filio? est sanè Pater Filij. Si Spiritus sanctus procedit à Filio quia Spiritus eius est, procedet & Pater, quia Pater eius est. Imò & oues Christi ab illo procedent, quia oues eius sunt. Quin etiam Spiritus sanctus procedet ab Ecclesia, quia Spiritus eius est, illi promissus, illi missus. Itaque quia tam inauspicata tibi sunt omnia Læli, quæ ex Scripturâ probas, redauspicandum tibi suadeo ad Traditiones, in his reperies, quę frustra in scripturâ quæris,

Corol-

Corollarium.

HAbes, Lector, responsum Lælij ad hanc Traditionem, in quo obserua.

I. Quàm multò respondeat aliter ad hanc quàm ad priores; hic nihil nisi scripturam loquitur, in prioribus nihil minùs.

II. Tametsi clarè, claram scriptum hîc inclamet, & proclamet, illa tamen quasi Caussaria, ad hoc bellum, vel forum declinat, vel campum, ita vt nescias

Cui Domino pareant leones.

III. Deesse adhuc Scripturam, quæ certò Spiritum sanctum à Filio procedere testetur; non deesse tamen Ecclesiam testem, huic credimus dicenti, non Lælio contradicenti.

TRADITIO VI.

SAcram Scripturam non esse normam vniuersalem totius doctrinę Christianę, cùm nec Christus, nec Apostoli, doctrinam vniuersam mandârint, in codicillos, referri; nec vllus ab Apostolis dogmaticus liber, seu Catèchesis, vnde appareat Apostolos voluisse, scriptam inire rationem illorum, quæ credenda essent omnium omnino; sed meræ tantùm historiæ prodierint,

rint, & ad priuatos Epiſtolæ. Si ſcriptos voluiſſet Chriſtus, ſcribi mandaſſet, ſi Apoſtoli, non indiſcriminatim, ſed in Catalogo legeremus Fidei Chriſtianę capita.

Reſponſum Lælij.

Ex Scripturis ſupra allegatis, ait pag. 150. euidens eſſe vniuerſalem Regulam, omnium credendorum, conſentientibus etiam Ieſuitis, Bellarmino, Gretſero, Valentia, Coſtero.

DE cæpis, Læli. Videte obſecro miram huius Prædicantis Philoſophiam. prudentiùs ille profectò ſapit, quàm apud Æſopum canis quiſpiam, cui cum effigie ſuâ, in vndis ſpectatâ, cõtrouerſum eſſe cæpit fruſtum carnis; vt grandiores ex vndis aſportaret bolos, in vndas patuū, fortunam tamen ſuam, abiecit. Quidquid in hunc Prædicantem obiectionum volat, irretorto negligit oculo omnia; fruſtum ſuum tuetur mordicus; cum ad obiectiones reſpondendum, antiquum illi eſt, theſin ſuam confirmare, obiectiones nec ponderare, nec curare. Habes hic iterum

iterum istius demonstrationem Lector, vide magna proludia, & mecum ride.

§. I.

Lælius non respondet.

SCripturam non esse omnium quæ credenda sunt, vniuersalem Regulam, probaui in *Linguario* pag. 18. quia talem non voluit esse, neque Christus, neque Apostoli, cum nec ille scribi mandârit, nec isti. qui verò iniussi scripserunt, historias, aut ad priuatos, nullã omnibus communem scripserunt Catechesin; nec Ecclesiam talem vel fecisse, vel recepisse, scitur ex Scripturâ. Lælius his omnibus præteritis, probare incipit pag. 150. aliunde, Scripturam esse vniuersalem regulam Fidei; metuit opinor, ne dum argumenta insectatur contraria, frusti sui iacturam faciat; faciet illam nihilominus. quid enim vniuersalem in Scripturâ hodiernâ quærit Regulam? reperiret si talem Christus esse voluisset. comportatus vel Christi, vel Apostolorum, vel Ecclesiæ posterioris decreto, Canon, seu certus omnium articulorum Fidei syllabus, nõ indiscriminatim, & historiarum quasi humeris, sed certâ methodo, quali solent esse libri dogmatici. quasi verò Augustanę Confessionis venerandi Sartores, prudentiùs suæ sectæ, quàm ipse

ipſe Chriſtus, vel Eccleſia Chriſti, conſuluerit? illi profectò Canonem eiuſmodi concinnaturi, dogmata ſua non in hiſtoriâ, ſed in peculiari volumine, in certa capita digeſsêre articulatim; de Scripturâ, de Sacramentis, de Bonis operibus, de alijs ſigillatim, non ſine diſcrimine, tractauerunt. Chriſtus, Apoſtoli, Eccleſia, quanta nomina! nullis memoriæ adiumentis, confuſim, ac indiſtinctè, articulos, quotquot erant, omnes noluerunt ſcribi, & normam Fidei eſſe voluerint? diuinare nos quot ſint numero Sacramenta maluerint, quàm ſcire? quid ſit Sacramentum, ipſum adeò Baptiſmum, aliáque apprimè neceſſaria, multâ diſquiſitione cruere, quàm apertis verbis voluerint lectitare? Duo, tria, ſeptem eſſe Sacramenta; hoc ritu neceſſario, aliòue, provt Eccleſiæ tradiderunt administranda eſſe, non ſcripſerint explicatè; & Fidei arcana, per ſacra volumina patefacere conſtituerint? nimis hęc de Chriſto rudis cogitatio: pericula omnia longè certiùs, & commoda Eccleſiæ præuidit, quàm Auguſtanę concordiæ diſcordes fraterculi; meliore methodo, tam partitè, clarè, ordine tam accurato, ipſi ſcripſerint, & vel noluerint, vel non potuerint idipsũ Apoſtoli, qui Fidei tamen ſuæ vniuerſalem ſcriptitare voluerunt Regulam? Sed quid in apertis multa? ad pauciora in *Linguario* mutus fuiſti,

ſti, & ne ſuccubuiſſe viderêre, ſemper, aliena ſaltem, reſponſitâſti; leuis enim, & facilis via eſt Prædicanti, ad fugam.

§. II.

Lælius male reſpondet.

SI non & malitioſè; nam & quæſtionis ſtatum peruertit, & ad non quæſita, reſpondet, planum eſſe ex Scripturis ſuperiùs allatis, Scripturam vniuerſalem eſſe credendorum omnium regulam: quàm autem planum hoc ſit, explanaui, in ſuperioribus meis, ad illas ipſas ſcripturas, reſponſis; nihil repeto, ſed vt tergiuerſationes, à Veritate preſſorum Prædicantium, & ſcitas cùm leo eſt in viâ, exitiones, obſerues, Lector, moneo.

Additamenti loco Bellarminum, Gretſerum, Coſterum à ſe ſtantes, me denique his contrarium producit, ſubleſtâ tamen fide; nunquam nec Bellarminus, nec Gretſerus, nec alij Scripturam pro vniuerſali Regulâ agnouerunt; nullus enim omnium eſt, qui Traditiones non admittat; Gretſerum quàm graphicè in ſuâ *Script. Loq.* contraria docentem ipſe Lælius introducit. quaſi verò non poſſit ſcriptura *certiſſima Regula,* aut *norma abſoluta* eſſe, & regula tamen vniuerſalis non eſſe? abſoluta regula, & certiſ-

certissima est cubitus, vniuersalis tamen non est, nam nec liquidorum, nec grauium mensura est. Scriptura ad eum modum absoluta quidem, & perfectissima est regula, omnia qui extra illam, contra illam, & qui in illa sunt, non autem illorum articulorum qui in illa & contra illam non sunt. Ego verò denique Sacra Biblia pro nullâ penitus agnoscam regulâ? audacter hoc pag. 151. affirmat Lælius, verum splendidè;

Sed motus præstat componere fluctus.

Corollarium.

LÆlius iterum in nassam incidit; extricare se non potest, debet etiam inuitus acceptare Traditiones, nam

I. Nullam adfert Scripturam (ex quâ solâ, hoc loco, sua demonstrare debet) quæ testetur, Scripturam esse vniuersalem Regulam, omnium diuinâ Fide credendorum.

II. Nullam adferre potest Scripturam, & tamen credit scripturam esse vniuersalem Regulam credendorum. Cui ergò credit, si scripturę hic nihil Loquenti, credere non potest? nonne Traditioni? illi quidem si nobiscum sentiat, nam scripturam esse vniuersalem Regulam, nec scriptura dicit, nec Traditio, quæ contradicit.

VII. TRADITIO.

ARticulus Fidei est, sciuisse Thessalonicenses, & credidisse ab Apostolo illis traditum quidpiam, quod in nullâ scripturâ reperimus. Crediderunt ergo Traditioni Thessalonicenses, non Scripturæ.

I. Lælij Responsum.

Ait pag. 151. Si nusquam reperitur, & penitus ignoratur, tunc nec Articulus Fidei, nec Traditio est.

LEpidè, tempora distingue, me Prædicans, & concordabis iura: quasi argumentũ meum eò respiciat, vt penitus ignorari affirmet id, quod Apostolus dicebat Thessalonicenses scire? non hoc ago, sed omnino contrarium; scitum creditúmquid aliquid à Thessalonicensibus doceo, nescitum ab illis ex Scripturâ; fuit enim ipsis dictum tantùm, non etiam scriptum; ex illis inquam, de quibus 2. ad Thess. 2. vers. 5. ait, *Non retinetis quod cum adhuc essem apud vos hæc dicebam vobis?* Nobis ergò hodie sint ista ignota,

ta, ignota tamen non fuerunt Thessalonicensibus, nisi ex scripturâ. Siue sciatur hodie, quid illud sit, *quod detinet*, siue ignoretur, illud in cõtrouersiam non venit, vnum istud declarandum mihi erat, quædam per solum sermonem tradita ab Apostolo fuisse, creditaque à Thessalonicensibus, quæ in nulla scriptura reperimus.

II. Responsum.

Articulum illum, ait pag. 152. non ignotum esse Scripturæ.

QVem illum? *quid detineat, vt reueletur in suo tempore?* de hoc ego loquor, tu verò de quocunque loquaris, erras: Si hic enim est articulus, in scripturâ non est; si alius, non est in controuersia. Augustini sententiam mecum sentientem, citaui in *Linguario*, non recito. quid sit illud *quod detinet* scire totus aueo. finisset pugna, si dixisses, si in scripturâ monstrâsses.

III. Responsum.

Si intelligeretur, ait pag. eadem, quid sit Σέβασμα, & Σεβασὸς, sciretur quid sit illud quod detinet.

VIam quæso te, vel muni, vel monstra, quandoquidem in compito dubium me cernis. Reperturum me dicis, quid sit Σέβασμα. Act. 17. vers. 23. vbi pro Idolo, & simulachro ponitur; quid sit Σεβαςὸς, Act. 25. vers. 21. vbi Augustum, seu Cæsarem significat. Habeo vtrumque, & tibi gratiam Læli. Ite nunc in præcordia Musæ, concilium edico, consilium peto. Sciendum mihi, quod Apostolus Thessalonicenses scire dixerat, *quid sit quod detineat, vt reueletur in suo tempore* Idolum, an Cęsar? an Idolum in Cæsare, an Cæsar in idolo? impedita via, mere salebræ, errores vndique. Tacetis Musæ? Scio quid sit Σέβασμα, scio quid sit Σεβαςὸς, quod inquiro nescio, quid sit, quod Idolum, seu Cæsarem, detineat vt reueletur. Fare tu Læli apertiùs, responsum hoc tuum nullum est, ænigma est, malo certus esse, quam suspicari: videris sanè Cæsarem habere pro Antichristo.

***

§. I

§. I.

Vtrum omnes articulos Fidei, quos Apostolus per sermonem Thessalonicensibus tradidit, Scriptura contineat?

NEgaui in *Linguario* pag 48. & 49. causa erat, quod omnia illa, quę ijsdem scripserat, in aliâ scripturâ non reperiantur. Exemplum erat cap. 4. 2. ad Thess. versus 16. in nullâ aliâ Scripturâ repertus. Eos qui residui sunt, non præuenturos illos qui dormierunt, & illos primò resurrecturos, deinde illos qui relinquuntur, &c.

I. Responsum Lælij.

Nusquam ait pag. 153. hunc articulum reperiri, ne in Epistolâ quidem citatâ, cum non mortui, non sint resurrecturi.

EGone verò non mortuos dixerim hîc resurrecturos? non dixi, fabula Lęlij est, non mea sententia. At in conspectu solis est, inquit, hæc mea esse verba, clara, liquida, nam pag. 48.

 Lingua-

Linguarij disertè legit, vbi insuper, quod priore
' epistolâ, cap. 4. dicit, *Eos qui residui sunt, non*
" *præuenturos illos qui dormierunt, & illos primò re-*
" *surrecturos, deinde hos qui relinquuntur.* quis hęc
aliter intelligat, quàm primò resurrecturos qui
dormierunt, deinde illos qui non dormierunt?
quis, inquam ego potiùs, non credat istam scri-
pturas omnes corrumpendi consuetudinem,
apud Prædicantes abijsse in naturam? pauca
verba sunt, quę ex meo libello recitat Lælius, il-
la tamen ipsa, quàm pauca sunt, vim Prædican-
ticam passa, decurtata, & dolo malo, in alienam
abducta sunt sententiam. Videamus igitur quid
à me, & non etiam à D. Paulo dictum sit. ais D.
Paulum non dicere, eos *qui relinquuntur resurre-
cturos,* me id dicere. quo loco, Læli? hæc mea
sunt verba, ausculta; dico: *Illos primùm resur-
recturos, deinde illos qui relinquuntur, &c.* quid
dicam Lęli intelligis? quid est τὸ *&c.* quod tu
scilicet, vt fraudem facias, omittis. si nescis quid
illud &c. sibi velit, lege verba quæ in Scripturâ
à me citatâ sequuntur, & reperies quid sit *&c.*
Sunt enim verba in Apostolo sequentia, hoc est
ista: *deinde illos qui residui sunt, qui relinquuntur,
simul rapiendos cum prioribus in nubibus.* hoc est il-
lud *&c.* quod tu vt non mortuos dexterè mihi
affingas, ex meâ sententiâ resurrecturos, omit-
tis. Dedecus! tanti est, vt me tuis risum facias,
fidem

fidem tuam, famámque afficere? profectò enim pro illo &c. quod omisisti, fecisti decumanum &c.

II. Responsum Lælij.

Eos qui tunc victuri sunt, non morituros, adeóque non resurrecturos.

AT hoc quid si demonstrem tibi ex Scripturâ? omnes sanè qui morientur resurgent, quod fateris ex hoc loco S. Pauli, omnes omnino homines morientur, *Statutum enim est omnibus hominibus semel mori, post hac autem,* post mortem, *iudicium* ad Hebr. 9. Eccles. 9. Ergo omnes omnino resurgent; atque adeò, etiam qui viuent, qui residui erunt. Esto autem, non omnes morituros dicamus, habebis nouum articulum Fidei, ex aliâ Scripturâ probandum, nisi quod res est, malis confiteri, non omnia in Biblijs reperiri, quæ Thessalonicensibus scripta fuerunt. de quo hic solùm agimus.

III. Responsum Lælij.

Paulinum istud dogma ait pag. 154. clarè contineri in Ioanne cap. 5. & Matth. c. 24.

HEus, mi bone, mane intra oleas; *residuos non præuenturos illos qui dormierunt; dormientes primò resurrecturos*, deinde *illos*, *qui relinquuntur, primùm rapiendos*, &c. quod tu dicis, non morituros, quærimus in aliâ, quàm ad Thessalonicenses datâ Scripturâ, Ioannem citas, vt probes mortuos resurrecturos; non egemus hoc testimonio. Citas Matthęum, vt ostendas omnes congregandos à quatuor ventis, nec indigemus isto; alia, quæ inquirimus monstra vbi vbi potes; Ioannes de residuis nullam mentionem, Matthæus inter conuocandos, & iudicandos nullum fecit discrimen tu cum istis ad propositum nihil respondes.

Itaque neque respondes ad vim argumenti, neque ostendis aliâ Scripturâ quod S. Paulus 1. ad Thess. 4 scripsit, quomodo ea ostendes, quæ non scripsit?

§. II.

§. II.

Appendix ad has Traditiones.

TRansuectionem non Equitum, ſed *Traditionum* Romanorum adhuc ſpectauimus; ſtrigoſas eſſe voluit omnes Lęlius, ſed reſponſa ſua talia effecit, ius equi, annulique amiſit. Quali autem hanc ſuam actionem clauſit epilogo? Tragico ſanè, ſi vero. Doctores Catholicos cõmiſit, munerarius in ſpeciem magnificus; & quaſi nos inter inteſtinum, vel gliſceret, vel diu iam flagrâſſet bellum, alios ait has, alios alias comportare Traditiones, nunquam concordem, & integrum adhuc earum ordinem comparuiſſe. Verùm non ideo in partes ſecedimus, Lęli, tametſi hanc iſte, illam alius in medium conferat Traditionem; neque enim conſtitutum nobis eſt, texere iſtiuſmodi Catalogum; vt Lutheranam doctrinam oſtendamus erroneam eſſe, in quo quidem cum Hercule non laboramus, aliquot Fidei articulos, Scripturę nec contrarios, nec notos demonſtramus. Nullam vos Traditionem admittitis, Scripturâ teſtata vultis omnia, aut tribu mouetis; Scripturam omniloquentem centum haſtis propugnatis; Traditionibus valere iuſſis, ſcripta eſſe debere omnia, perenni vociferatione clamitatis: qui

ergò

ergò Traditionem vel vnam probauit, errare vos docuit, & Traditiones Ecclesię approbauit. Certatim ea propter à singulis aliquot proferuntur, nō quod singuli omnes, sed quod aliquos, incredulis vobis monstrare, & sententiam vestram, tam grandi errore impiatam, vel vnicâ saltem Traditione, ad salutem creditu necessariâ velint damnare. Exspectas tu verò longa descriptas serie Traditiones? actum agis; nec Christus, nec Apostoli capita fidei omnia in ordinem redegerunt, & in Ecclesiâ pro regulâ proposuerunt: hi Ecclesiam audiendam voluerunt, quidquid illa definit, definitum est, scribat, dicátue. Huc regulam Fidei collocârunt, tum Christus qui Euangelium suum non tradidit Ecclesiæ scripto, tum Apostoli, qui nec ipsi talem in Ecclesiâ canonem scripto promulgarunt, nec ad scripturæ perpendiculum Fidei dogmata, sed ad Ecclesiæ auctoritatem examinarunt, ita cap. 15. Act. ad Apostolos, & presbyteros, non ad scripturam accursum. ita ipse Paulus ad Gal. 2. contulit Euangelij sui doctrinam, non cum scripturâ, sed cum Apostolis, & seorsim cum ijs qui videbantur aliquid esse: & erat tamen tunc scriptura, si & regula fuit, cur nullam facit illius mentionem? Hanc ergo Regulam mi Læli, & non scrpturam quære, bonum factum si hanc adis, & audis, sin autem

tem, cum Ethnicis, & Publicanis portionem tuam exſpecta.

CAPVT XII.

CAput iſtud Lælius ſine titulo, ſeu ſine capite eſſe voluit, parum enim in illo rationis, ac neruorum fore ſciebat; nam applauſus tantùm inanis eſt, quo primùm ſibi gratulatur veluti re bene geſtâ, contra me. Deinde quaſi Scriptura, Lęlianâ loqueretur linguâ ita merces ſuas, quas hederâ non ignorabat indigere, extruſurus,

Cytharâ crinitus Iopas,
Perſonat auratâ.

Audientiam demus pro Republicâ ſuâ Sollicito, ac vigilanti conſuli, qui ſciſsâ veſte, ſtomacho indignante, dena de meo promptuario producit piacula.

I.

Ait pag. 159. Chriſtianam doctrinam, & ſacra Volumina antiquas inter Nænias, & fabulas aniles à me numerari. Calumnia eſt, ac pura, puta, Veritas Prædicantica, contra mentem, ac certam ſcientiam in me dicta. Audi, Lector, tibiam meam q. 4. parte 3. *in Maculis ſolis* ſeu Refutatione 2. cap. *Script. Loq.* huic Næniæ accinentem.

I.

II. III. IV.

Ex Scripturâ naſci controuerſias, Scripturam obſcuram eſſe, Lęlio pag. 160. & 161. paradoxum eſt: certum autem, & liquidum eſſe, docent eædem *Maculæ Solis*, pronuper demonſtratę.

V.

Fruſtra ad Solius Scripturæ perpendicucum vocari ea, quæ ad Fidem, ac ſalutem ſunt neceſſaria, dixeram in *Linguario*, Lælius hanc meam ſententiam heteroclitis accenſet, debebat ad cauſas ibidem à me allatas, & à ſe allegatas reſpondere prius, tum demum pollicem vertere; ſed indignitas rei, linguam, veritas tenuit rationem, mala cauſa tamen, docuit facere fraudem: Nam infidâ tralatione, Latina mea verba ſuccidit, & verbum ſibi admodum aduerſum, expunxit in vernaculâ, vt me Scripturæ ſacræ contemptorem oſtenderet. Neque enim verum eſt, fruſtra ad perpendiculum Scripturæ articulos Fidei vocari; verum tamen eſt, fruſtra ad *Solius* Scripturę perpendiculum illos vocari, hoc ego ſcripſi & probaui, illud finxit de me Lælius.

VI. VII.

Quoſdam actus primariò adſcribi Deo Patri, qoidam Filio, quoſdam Spiritui ſancto, reprehendere potes, Læli, non autem refutare, ideo

ideo etiam ad ea quæ pag. 35. *Ling.* respondi, tacitè tacuisti.

VIII.

Præstare è manu vulgi Scripturam eripere, quotidie magis persuadeor, cum illi in tuâ tam sit malè.

IX.

Obstupescit iterum, iste meus mirio, non constare posse ex Scripturâ Euangelium S. Lucæ, quod hodie lectitamus, esse illud quod S. Lucas scripserat, nec mancum, nec suppositi-tium, sed germanum: & videt tamen Epistolam S. Pauli ad Laodicenses scriptam, penitus interijsse, quæ circumfertur, suppositiriam esse. Cur amabo, non potuerit euenire Lucæ, quod S. Paulo euenit? Desine ergò mirari, sed & tacere desine, ad quæstionem, nam omnium nostrum aures iam pridem audituriunt, ex quâ Scripturâ constet, Hoc nostrum Euangelium Lucæ, esse Lucæ, epistolam S. Pauli ad Laodicenses, non esse S. Pauli.

X.

Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes,

Decimum enim est piaculum, & decumanum, ex quo Lælianæ fraudes quasi ex Equo Troiano prorumpunt sturnatim, agminatim. Animum aduerte, Lector, & vide, quàm nihil hîc,

hîc, ad veri lineas, pag. 165. & sequentibus scripserit Lælius. Verba quæ insectatur, hæc sunt:

Clamant ab ipso statim Ecclesiæ exortu Patres, supra cap. 8. Linguarij, *& apud alios passim citati, non omnes Fidei articulos esse scriptos; obnunciat vnus vnicus diabolunculus, & creditur illi, &c. in Epilogo* Linguarij.

Quid ad hæc Lælius? quod solent muti cum silent; non silent enim duntaxat, sed & loqui non possunt. Tacet ergò, & diabolicam esse doctrinam, doctore scilicet diabolo, Luthero instillatam, tacendo fatetur, negare non potest; vt suum hoc tamen coloret silentium, non totus tacet, sed videri vult respondisse, saltem aliena.

Responsum I.

Et principio quidem, ac si in Deos pugnarem, in me spuit, & veluti egomet mihi cælum, Ecclesiámque Romanam inimicârim, cauere me rem malam commonet. Nihil muto, Læli, panicus terror est quem obijcis, contra Deum loquitur, quisquis Traditiones proscribit. ecquis enimuero ante Diabolum, Lutheri execrabilem præceptorem ita locutus est? nisi Hæreticos, neminem nominabis. Arianos, Eunomianos,

mianos, Pelagianos ita loquentes audiuit, & damnauit Ecclesia. Siluit post illa orbis, vsque dum cum Luthero, antiquam pestem Diabolus elucubraret. Cum his nunc loquitur, Lelius, alijsque qui ex infami cucullo, proculcatam illam hæresin iterum imbiberunt.

Responsum II.

Ambas hic buccas inflat, Lælius noster, vnóque nititur difflare caput octauum Spiritu, difflat autem? si vera diceret; nunc quia

istud quod non est, dicere Bassa solet,

Ostendit se flare tantùm, ac fumos spargere doctum, nam contra suammet mentem certamque scientiam, responsum dat impostura varium, vanitate prægnans; ait enim pag. 165. Traditiones à Patribus enumeratas meras esse ceremonias. Hem quanta vanitas! obstupesco tam audacter istud dici posse, tot modis à vero remotum; nam.

I.

Constare id, inquit, ex Tertulliano, quas Patres enumerent Traditiones, & probè nouit, ab Augustino, aliisque Traditiones adferri, de quibus nihil vsquam Tertullianus.

N II. Ait

II.

Ait Traditiones illas esse meras Ceremonias; & certus est, inter ipsas Tertulliani, à se recensitas Traditiones, esse tales, quæ non sint meræ ceremoniæ, sed articuli Fidei. quid enim oblationes pro defunctis? quid oblationes pro Natalitijs? valere preces, & sacrificia pro mortuis, non est mera ceremonia. pro honore Martyrum sacrificare, non est mera ceremonia. Adde & Purgatorium, quia pro Mortuis legimus oratum.

III.

Per oblationes ait pag. 132. Tertullianum tantùm intelligere illas, quæ pro Martyribus, non autem illas, quæ pro alijs defunctis fiebant, contra clara Tertulliani verba; dum enim hic ait *oblationes pro defunctis annuâ die fieri*, satis discriminat diuersi generis oblationes. Ipséque etiam auctor, suorum interpres verborum est, dum Ecclesiæ consuetudinem tunc fuisse, pro defunctis non Martyribus, annuas oblationes offerre, lib. de Monog. cap. 10. testatur quo loco, *pro anima*, ait, *Mariti oret, & refrigerium interim adpostulet ei, & in primâ resurrectione consortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius.* Vides morem Ecclesiæ, & mentem Tertulliani Læli?

IV. Per

IV.

Per oblationes insuper negat hîc Lælius intelligi sacrificium Missæ; testem citat S. Cyprianum, epistolâ 34. quem audit, oblationes pro Martyribus institui solitas fuisse, affirmantem. Quâ de causâ sic argumentatur. Iniuriam facit Martyri qui orat pro Martyre; At is qui missas offert pro Martyre, orat pro Martyre, Missa enim Pontificiâ institutione, peccatorum bono est deputata; Ergo iniuriam facit Martyri, offerendo pro illo tanquam pro peccatore indigente eiusmodi piaculo. Aliud ergò aliquid est apud Tertullianum quia etiam aliud est apud Cyprianum oblatio, quàm Missæ sacrificium, quod pro Martyribus offerri non posse, Pontificiâ institutione constat. ô horæ bonę quo abitis? ad talia argumenta mihi respondendum est, & chartæ, & temporis dispendio. Nec à Papa, Læli, sacrificium Missæ, nec pro solâ peccatorum expiatione est institutum; Christus honori, ac cultui diuino, id instituit; honoramus ergò meritò DEUM in sanctis suis, quorum commemorationes fiunt in sacrificio missæ; hoc nosti ex Cypriano, quem citas, ait enim. *Tertullum fidelissimum & deuotissimum fratrem, significare sibi dies quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem, gloriosæ mortis exitu, transeunt, & celebrari hîc à fidelibus oblatio-*

 nes;

nes, & sacrificia ob Commemorationes eorum, &c. quid ergò tam clara verba dissimulas? quid tam audacter Cyprianum, tam tibi apertè contrarium, citas? quid vnicam instituti sacrificij causam adfers? Itane satis tibi est tacere? & malè loqui? &!

V.

Contra mentem præterea suam ait Lælius, SS. Patres de Traditionibus, quæ meræ sunt ceremoniæ concordare, non autem de illis, quæ simul etiam sunt Articuli Fidei, necessario credendi in Ecclesiâ: nam vel ex *Linguario*, cap. 8. quod citat, & ad hanc suam tubam, cum muris Ierichuntinis existimat corruisse, illi constabat, legit enim Antagonistas Traditionum, de quibus loquimur, à Patribus, scriptis libris, damnatos, Arianos ab Augustino lib. 1. contra Max. Macedonianos, Eunomianos, à Basilio, lib. de Spiritu sancto. Eutichianos à Patribus Concilij Chalcedonensis Act. 1. Hi sanè de solis ceremonijs cum Hæreticis non compugnarunt, nam parem Traditionibus cum Scripturâ diuina voluerunt esse, in Ecclesiâ auctoritatem.

Quin ipso facem prælucente Tertulliano, vidit Lælius, non de Solis Ceremonijs rem geri; qui tametsi ceremonias Traditionibus immiscuerit, adiecit tamen disertè *Harum, & alia-*

rum

rum disciplinarum, Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, FIDES (vides Læli?) *obseruatrix*. Et non est profectò mera ceremonia, Læli, Baptismus Infantium; negat S. Augustinus lib. 10. in Genes. cap. 23. hunc de fide constare, *nisi Apostolica esset Traditio*. Nec meræ sunt ceremoniæ, de quibus S. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27. ait *Dogmata quæ in Ecclesia seruantur partim ex Scripturâ, partim ex Traditione, ad nos delata recipimus*. Quod tu ex quibusdam ceremonijs, Traditiones omnes metiaris, merum est effugium, mera tuorum deceptio, ceremonia tibi solemnis.

VI.

Tertulliani auctoritatem, quam sibi Lælius admodum aduersam, & ineuitabilem videt, nititur bonus vir pag. 128. eleuare, & Hæreseos veneno intoxicatum, vellet etiam in hoc, de Traditionibus, testimonio suspectum. frustra es mi Læli, testem hîc Traditionum, non doctorem agit; contestes nisi tot numeraret, suspicionem moueres: vt suspectus sit in alijs, in hoc tamen integer est, nimis illum multi integrum faciunt, tu vnus nihil obtinebis.

VII.

Recrudescunt in Lælio, non agunt cicatrices, accepta à Patribus vulnera; videt nimium

cris litteris confirmatam. Hoc ait docere Augustinum, ille meus Iuris Canonici ocellus. pag. 169. relatum Dist. 9. c. 3. &c. Et credis Læli nobis vel oculos, vel deesse libros, quibus imposturas tuas videre possimus? Nec in 3. nec in 4. nec in 8. nec in 9. nec deniq; in 10. citatę Dist. capite, SS. Patrum scripta, ad sacrarum duntaxat litterarum normam, vt fidem in Ecclesiâ mereantur, ab Augustino vocantur, & tamen tot capitibus Lælius hoc nititur confirmare? semel, & in vno fefellisse, nimium erat, quid opus tot, dolo malo, citatis capitibus? Videamus enimuero quam verè Lęlius. Cap. 3. ait, Augustinus sacræ Scripturæ incunctanter credendum, *in istis autem* (sua intelligit) *quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmum tenere.*

Cap. 4. *Sicut*, inquit, *in ipsis maioribus, ita multa esse in tam multis opusculis suis, quæ possint iusto iudicio, & nulla temeritate damnari,*

Cap. 9. dicit Scripta Patrum ab auctoritate Canonis differre; *Non enim sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, vt contra sentire non liceat, sicubi fortè aliter sapuerint, quam veritas postulet. In eo quippe numero sumus, vt non dedignemur, etiam nobis dictum ab Apostolo accipere;* Et si quid aliter sapitis, id quoque DEVS vobis reuelauit.

Tuam fidem, Lector, facitne Augustinus, Scripturæ sacræ, ne dicam solius expressam mentionem? nec occultam quidem facere in reliquis ipse declarat Augustinus.

Cap. 8. disertè legimus. *Episcoporum autem litteras, quæ post confirmatum Canonem, vel scripta sunt, vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem, cuiuslibet in eâ re peritioris, & per aliorum Episcoporum grauiorem auctoritatem, doctioremque prudentiam, & per concilia* (non per solam sacram Scripturam, vides tuam fraudem Læli) *licere reprehendi, si quid in eis fortè deuiatum est à veritate.* Estne hoc bonâ fide agere? his verbis ait Lælius, Augustinum nihil aliud requirere, ad fidem auctoritati Patrum præstandam, nisi sacræ Scripturæ normam, ac regulam; de quâ quid in his verbis obsecro? quæ Scripturæ mentio? vbi autem solius Scripturæ, vel cogitatio hinc exoriri potest? Sed probat & certum se esse arbitratur ex

Cap. 10. in quo S. Augustinus negat Doctorum Catholicorum scripta adeò æstimanda esse. *Vt nobis*, inquit, *non liceat saluâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si fortè inuenerimus quod aliter senserint, quam Veritas habet, diuino adiutorio, vel ab alijs intellecta, vel à nobis.* Nihil hîc Læli de Scripturâ, minus de solâ. normam eorum quæ à Pa-

à Patribus ſunt ſcripta, ratio adhuc, & eruditorum virorum iudicium obtinet ; lege cap. 5. quod ideo prætermiſiſti, & diſce quæ ſit Auguſtini ſententia. *Alios*, ait, *ita lego, vt quantalibet ſanctitate, doctrinâq; polleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi per alios auctores, vel Canonicas, vel probabiles rationes* (vbi Scriptura ſola ?) *quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.* Atque ita demum Lælius ſibi ſimilis eſſe incipit vbique; eóque oſtendit modo, non aliter abs ſe Scripturam ſacram quam SS. Patrum libros citari : Magnus ſanè Doctor, cui quæuis Scriptura clarè quiduis loquitur, & quod dicit, & quod non dicit. Æſtima Lector, quàm ſecurè Lælio credant ſuam ſalutem, qui à linguâ, calamóque Lælij pendent.

IX.

Vt numerum ſecum ſentientium Doctorum faciat, Cyprianum D. Auguſtino, Patrum ſcripta, ex Scriptura ſacra examinanti, addit teſtem, oculoſque noſtros in rem præſentem euocat. Venimus Læli; & vbi ille demum eſt Cyprianus, qui Patrum ſcripta, ad perpendiculum Bibliorum depoſcit ? citas Epiſtolam 3. Lib. 2. lego illam, ſed iſtorum nihil lego. Ait non offerendam in ſacro calice ſolam aquam, neque vinum ſolum; idque ex Traditione probat, per figuram, è vetere Teſtamento, confirmatam.

quid autem hinc accreſcit tibi emolumenti? haud diſpicio ſatis cui bono Cyprianum alleges, niſi ſi Dialecticâ deductione, quod tibi probandum eſt, velis demonſtrare. potes per me, ſed vereor vt ſine riſu, eorum etiam, qui in ſupremâ Dialecticorum caueâ ſpectant. Argumentum, ſi hoc agis, audiamus. S. Cyprianus Traditionem vnam, à Patribus acceptam, declarat ex Scripturâ, Ergo omnia quæ à Patribus accipimus declaranda ſunt ex Scripturâ. Cur amabo non potiùs, cum ex ſignificatione verbi *Miſcuit* Prou. 9. aquam vino miſtam euincat, deducis ſimilem conſequentiam. S. Cyprianus Traditionem vnam à Patribus acceptam probat ex Grammaticâ, Ergo docet omnes Traditiones Patrum probandas ex Grammaticâ. Meliora forte abs te legerem argumenta, qui in Grammaticâ videris verſatior eſſe, quam in Dialecticâ, declinare enim argumenta, quã facere doctior es. Itaque in hac citatione tuâ, Lęli, lego iterum magnum nomen, paruum argumentum.

X.

Antequam manum Lælius de tabulâ tollat, adnectit vnam adhuc fabulam, exodium exordio ſimile facturus. Ait igitur pag. 169. & 170. Ieſuitas SS. Patrum cenſuram affectare, ſuoque in illos arbitrio vti velle, falſum ait, vt compen-

dio

dio dicam. Iesuitæ cum Ecclesiâ Catholicâ sentiunt, & loquuntur, quæ Magistra Veri, ius omnibus suis Doctoribus dicit, partim ex Scripturâ, partim ex Traditione, semper ex Spiritus S. sibi perpetim assistentis instinctu: hoc ius dicit cum vel per Concilia legitima, vel per Summum Pontificem in Cathedrâ quæ errare non potest, respondet. SS. Patrum auctoritas Ecclesiæ Christi id conducit, vt per eos constet, quid Apostoli, primique crediderint Christiani, articulos enim Fidei non faciunt, sed supponunt, declarant, promulgant: quem sancta Ecclesia non repudiat, non reprobant Iesuitæ: quē non acceptat Ecclesia, Iesuitę non agnoscunt. Ecclesia illis est pro norma vniuersali, Scriptura pro certissima quidem, sed nec sola, nec vniuersali Regulâ, cuius decreta acceptant omnia, illisque contradicentibus doctrinis Iesuitę contradicunt; experiris hoc Læli.

Atque istud denique vltimum huius libelli est caput, saburratum sanè, & non vnâ fraude cæteris nobilius; debebat enim opus decipiendo Lectori mangoniâ, vndequaque interpolatum, politumque manu, non solis malè responsis confertim stipari, sed tali ad extremum fine coronari, vt sicut motus grauium corporum centro propior violentior est, ita etiam esset properans ad finem grauior Vaniloquentia.

EPI-

EPILOGVS.

LÆLIANVS ALOgus, Paralogus.

QVantò magis Lælio, quàm Chabriæ statuenti ad portas Corinthi, trophæum, dicat Epaminondas vnus aliquis; non *trophæum* sed *Hecatæum* se spectare; qnæ enim in *Claue* Lælianâ lego, Hecatæo propiora esse possunt, quam trophæo; viam enim in auia monstrant, & sepultæ tam Dialecticæ, quam veritatis sunt monumenta, ita vt vanè sibi gratuletur Lælius, in Epilogo, quasi de hoste Scripturæ sacræ, spolia in trophæum collocârit; Hecatæum est, mi homo, & in triuio, nō tantùm quia responsa, & momenta tua triuialia, & Hecate digna sunt, sed quia ad errores, à vero, Lectorem in hoc Epilogo, tribus modis, quasi è triuio abducere conaris.

Error

Error I.

In solâ Scripturâ Sacrâ, reperiri doctrinam Christi.

HEus vir bone, versamur in ambiguo: vel enim de Scripturâ sacrâ loqueris solâ, vel etiam de sensu Scripturæ. Si de solâ, & nudâ scripturâ, egenum est elementum, littera occidens, os sine medullâ, verbo, Scriptura sacra, doctrina Christi, Verbum Dei, non est. Ad hanc Hæretici prouocare solent, verbis, non rei inhærētes: ex istâ clarè legit Arius, Ioan. 14. Christum non esse Deum, cum legit Patrem Christo maiorem esse. ex illâ Nestorius clarè legit, Ioan. 2. v. 19. Christum esse tantùm templum Filij Dei; legit enim *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Ex hac quid non Lutherus, quid non legunt Lutherani? quidquid volunt, quidquid libertas Euangelica, quidquid sola Fides suggerit, modò verbulum opportunum reperiant, quod obtorto quasi collo strangulatum, exclusâ animâ, & sensu Spiritus sancti vero, ac proprio, suis replent commentis. Mens Spiritus sancti Dictatoris spectanda est Læli, sine quâ Scriptura, Scriptura non est: de quâ neque tu, neque tota vestra Ecclesia certa esse potest.

test. quî possitis enim? Errare in Fide singuli, atque omnes simul potestis, fateris id, imò demonstras ipse, cap. 8. *Script. Loq.* pag. 47. 49. 51. potestis ergo à vero sensu Scripturæ abire, non potestis ergò vnquam de germano sensu Scripturæ non dubitare.

Et verò vnde cognosces Læli, in controuersijs Scripturæ, de quibus inter nos, imò & inter vos capitalia dissidia sunt, qui vestrum cum Spiritu sancto consentiant? Vbiquetarijne, an vero eorum antagonistæ? errare vtrique possunt, etiam cum se certos arbitrantur: errare tota vestra potest Ecclesia, etiam cum se certam credit; quando ergò, de Scripturâ rectè intellectâ, non meritò dubitabit? quo pacto singuli, suis quas fecerunt fabulis, velificabuntur? quâ ratione certos se ostendent scripturæ interpretes? nullâ prorsus, nisi dubiâ, de errore (cui subditi sunt, apud vos omnes, ac singuli) suspectâ, summum probabili; adeò vt apud vos lites omnes de scripturâ rectè intellectâ, in supercilio Lutheri residant, in quibus terminandis nunquam non reperias, quantumuis sub mantello, illud vestri Euangelij fundamentum;

Sic volo sic iubeo, sit pro ratione voluntas.

Vides

Vides ergo tanden in ſolâ Scripturâ doctrinam Chriſti non reperiri? niſi accedat auctoritas falli neſcia, nec reperies quidem certò, in Scripturâ, doctrinam Chriſti: opinio erit, non Fides, quidquid credes. Auctoritas autem illa quæ te tam ſolidè firmabit, Traditio Eccleſiæ eſt, illa Scripturam interpretatur, illam audire oportet, cui ſuggerit omnia, Magnus ille, omnis veritatis Doctor; non illa tantùm, quæ de doctrinâ Chriſti ſcripta ſunt, ſed & illa, quę ſcripta non ſunt; quidquid enim illa credendum edicit, de doctrinâ Chriſti eſt, à Spiritu ſancto illi ſuggeſtum, ſiue ſcriptum ſit, ſiue non ſit ſcriptum. Niſi fortè Lælius dicat, non eſſe doctrinam Chriſti, *hæc quatuor noſtra Euangelia eſſe Verbum Dei*; eò quod nec Chriſtus ipſe, nec Apoſtoli, in Scripturâ leguntur, illa pro Verbo Dei Eccleſię propoſuiſſe: ſed dicat tunc oportet, non eſſe articulum Fidei, quatuor iſta Euangelia eſſe Verbum Dei, cum dixerit in *Scripturâ Loquente* cap. 1. q. 1. pag. 1. ſolam Chriſti doctrinam eſſe credendam, cum ergò, hæc quatuor Euangelia eſſe verbum Dei, Chriſtus nunquam docuerit, non erit doctrina Chriſti, non erit articulus Fidei, non erit in Scripturâ; vel aliquid quod Chriſtus non docuit erit doctrina Chriſti, articulus Fidei, & tamen non erit in Scripturâ. quomodo

modo igitur ſola Scriptura totam continet doctrinam Chriſti ? ô Chaos !

Error II.

Catholicos plus deferre Pontifici maximo, quam Scripturæ pag. 173.

DIctum Lælij, non Pythagorę; extruſit illud maledicendi, & odium Lutheranorum, erga nos, foculandi libido: meritos ſe ita deteſtari credunt, quos Verbo Dei contrarios eſſe toties docentur. Non ſunt Catholici, quales eos Lęliani deſcribunt colores; apud nos quidquid Scriptura rectè intellecta dicit, à cælo dictum, certum, ſanctum entheum; quidquid Scripturę contradicit, indictum, atheúmque habetur. Quod Scripturæ porrò Pontificē pręferamus, paſſionem ſuam, & antipathiam magis, quàm Iuris Canonici verba conſiderat; non enim vt malè legit Lælius, Pontificia decreta, in rebus Fidei maioris apud nos auctoritatis ſunt, quàm Scriptura, cùm rectè intelligitur, par vtriuſque eſt auctoritas, idem enim Spiritus ſanctus loquitur, ſiue Scriptura, ſiue Pontifex, ex Cathedrâ loquatur. quòd ſi magis ab ore Pontificis Eccleſia, quàm à Scripturâ pendere videatur, cauſa ſubeſt, quòd difficultates in Scripturâ

mo-

motas, non scriptura ipsa, sed Papa, & Ecclesia Scripturę interpres, declaret; ille siquidem *fratres in fide confirmare* iussus, lites dirimit, haud secus, quàm in Vetere Testamento, *Vbicunque quæstio erat de lege, de mandato, de Ceremonijs, de Iustificationibus, &c.* 2. Paral. Quod autem Papæ pronuntiata in caussis Fidei, & Ecclesiæ, tanti sint, hoc Lælio aurem fodicat, lancinat cor, bilem euerso ciet stomacho. Sed commune hoc Symptoma Lutheranorum, non tamen noua est, sed ex Vetere Testamento, in Ecclesiam traducta veritas. Habuit illud caput visibile, erroris expers, Christo ipso Cathedram illam commendante, in quâ falso nulla esse poterat sessio; & mortua illa sit fælicitas Sponsæ suæ, quæ sine rugâ, sine maculâ voluit esse? Ancillam adeò fortunârit, vt ore diuino sententiam dare indubiam potuerit, & Liberam, non æquè saltem fælicitet? quæ ratio expeditior lites in Religione ortas terminandi, quàm per sententiam, ab omni errorum suspicione liberam? Nec difficile Deo, nec insolens est, humanam in verba diuina erudire linguam. Christus sanè cùm pacis non dissensionis sit DEVS, viam vtique paci muniuit, non soluit discordiarum repagula, soluisset profectò, nisi tribunal in Ecclesiâ suâ falli, & errare nescium, collocâsset. Hæc vnica via veri, hæc vnica in are-

nâ noſtrâ tuba eſt terminalis; niſi à tali ſententiâ, lis nulla finietur; errare ſententiæ, præter talem, poſſunt omnes; nuſquam ergo tuta fides, niſi talis pronuntiet Prætor, qui in veſtrâ Republicâ nullus, in noſtrâ, ſummus Pontifex præſidet, Eccleſiâ. Et niſi tibi Libertinorum factiones præ alijs eſſent, Læli, non foret operoſum Papæ auctoritatem in primâ ſtatim Eccleſiâ, S. Ignatio Martyre, ad Mariam Caſſabol. teſte, agnitam, & tam conſtanti Doctorum calamo, huc vſque poſteratam (quam ſoli poſteriorum ætatum Hæretici, & noſtri denique Nouatores, Antiochum effodientes, allatrant) in Eccleſiâ Chriſti videre, & venerari. Verùm de his aliàs in *Vindicijs* meis, *Modio*, & *Cerâ Vlyſſeâ*, dixi, tu lege, & ad rem, quod non ſoles, reſponde.

Error III.

Sacram Scripturam in Linguario *contemni.*

DIcit hoc Lælius, non tantùm in Epilogo, ſed ab ouo, vſque ad mala, hanc decantat fabulam. quid ſi falſum ſe dicere fateatur? næ ille, tunc ſaltem verum diceret. Contemno enimuero ego Scripturam, Læli? quia næniam, ſeu

ſeu febellam anilem voco, ais. non voco; lege fumos tuos, quos tibia tibi ſubmiſſa, ad Cap. 2. *Script. Loq.* exſibilauit iam nuper. calumniatorem te voco ideo, quia contra mentem tuam ac contra verum id de me ſpargis. Et quæſo te egone ſcripturam contemno, quia condita diuina, ſacraſque voco paginas? ſacrilegus es, ſi hoc cenſes. Contemno ego ſcripturam, cum illam Spiritus ſancti decreta appello? impius es ſi ita iudicas. quia verò paſſim his appellationibus, ſacra honeſto volumina, nonne calumniator es, qui à id me dici publicè negas, & contraria confingis? At obſcuram dico, dico difficilem? ideone contemno? conteſtatur hoc ipſa ſcriptura, vt in *Maculis Solis* oſtendi. contemnis tunc Chriſtum obſcurè, & per parabolas doctrinam ſuam turbis proponentem? obſcurum certè illum S. Marcus 4. dixit, qui nihil Chriſtum ſine parabolis locutum eſſe dixi; an & contempſit? Sed habes ad iſta omnia reſponſum in *Maculis Solis*, ad Cap. 2. *Script. Loq.*

APPENDIX.

Vtrum Lælius meritò dicatur Hæreticus.


SPumat ad extremum, bonus vir, tam infami lacessitus appellatione; Hęreticus audire non vult, & esse vult. Tuâmet confessione, Læli, qui Ecclesiam Christi, conturbat, volens conuertere Euangelium Christi Hæreticus est ad Gal. 1. Lęlius conturbat Ecclesiam Christi, volens conuertere Euangelium Christi, docet enim doctrinam Christi in solâ Scripturâ contineri, deprauat Epistolas S. Pauli, & scripturam vniuersim contra communem sensum omnium retro ætatum, argumentis planè friuolis, vt passim in hoc, & prioribus meis libellis, ostendi. Suâ ergò confessione Lælius Hæreticus est. Sed, Capital facinus! appello Lælium Hæreticum, pacem Religionis in Imperio violo. Scelus! quis hoc autem de me? Lælius, pag. 184. minatur ibi dira, & diras. At parciùs ista viris: Numquid & tu horum hominum es, de quibus Comicus inquit,

maleuoli,
Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliã,
Et qui ipsi sat habent, quod ipsis possit verè dicier?

Eodem

Eodem ſanè te pono,&paro; videris enim quæſtui habere, malè loqui melioribus. Tu me, & omnes omnino Catholicos, vnâ cenſurâ, vocas Hæreticos, in *Script. Loq.* pag. 291. cap. 31. Scis, Prędicans, qui, & quanti, & vbi ſint Catholici? & cerebrum tibi vritur, cùm eadem ad te vnum redit appellatio? Tu Summum Pontificem nominatim, hoc vocabulo probroſè dehoneſtas, pag. 292. tu illum Idololatram, pag. 46. tu Antichriſtum, & filium perditionis eundem, pag. 146 & alibi liberrimâ impudentiâ pronuntiare non vereris; (quantillus tu homulus es?) & cum te Hæreticum voco, clamas pacem in Imperio violari? quantus ille verò Princeps eſt, quem tam inuiſis allatrare nominibus, tibi tam ſolemne eſt? Scarabeum te, cum Aquilâ video, cum vos compono: compono autem, & comparo? nec ſi cum ſoleâ Papæ te conferã, parem fecero. Si pax ergò violata eſt, vide miſer, quis ille Legirupio, quis pacis communis turbator exiſtat. Tu totam noſtram Eccleſiam Hæreticam, tu Papam hoc nomine compellare, ſaluo pacis fœdere audes, & me ad tuas reſpondentem calumnias reum citas? Si pax violata, tu violâſti, pace ſemel ruptâ, ſcis vtique quid parti fidem ſeruanti, ac læſæ conceſſum ſit? ab antiquo diſce.

Frangenti fidem fides frangatur eidem.



EPILOGVS

Ad Lectorem.



HOc habet *Clauis Linguarij*; iam manus, in vulnere est, frustra pollicem vertes, Lector; mirabere tamen mecum, tam intectum pectus, arenæ aleam tentâsse: tot enim sciuerit Lælius esse Fidei Articulos, nullâ Scripturâ testatos, solâ Traditione huc vsque in Ecclesiâ receptos, & liberâ fronte, Traditiones damnet? pilcari, palmâque ob refutatum *Linguarium* donari velit? vt nihil sit virium in toto *Linguario*, ex hoc solo iugulum illi sanguinat, nullâ Machaonis arte recurandum, quod nec, scripturam quidem ipsam Noui Testamenti, ex Scripturâ possit demonstrare, possit ex Solâ Traditione.

Apage igitur cum hac Traditionibus aduersariâ doctrinâ; noua est, à Patribus, & Ecclesiâ, huc vsque, nunquam non damnata, à pestifero inferni hostis seminio, infælicis ad instar lolij,

lolij, Luthero, (cum de Missa par nobile fratrum nocturnis rem gerebant horis) ingenerata. Vellet quidem Lælius Apostolicam haberi, antiquam, non nouitiam dici hanc doctrinam; nihil tamen promouet, re contradicente, quantumuis hoc *Clauis* & Ianus summus ab imo prodocet, hoc ad rauim Lælius declamat; hoc nusquam imò probat. Mittet me fortasse Lælius, vt solet, cum supponere, quàm probare tutiùs arbitratur, ad alios, à se editos, libellos, vt ex illis documenta, quæ desidero in *Claue*, depromam. Bonum factum, abeo; & ne solus, amabò Lector, comitare tantisper, ac audi iuxta mecum, probantem Lælium, in libello, quem *Basin Fidei* nuncupatione Splendidâ, inscripsit. In eo, pag. 120. quæstio oborta, vtra de nostris sectis, de germanâ Apostolorum doctrinâ esset certior? Itum in partes, ac pro nobis totus propè loquebatur orbis, attestabantur priuatim nobilissimæ Vrbes, Augusta, Norimberga, Ratisbona; pro Lutheranis stabat Lælius; qui & inficiari nostra dicta, & contendere non dubitabat, suarum non tantùm esse partium Augustam, Norimbergam, ac Ratisponam, sed semper, quamdiu Christianæ fuerunt, extitisse, nunquam fuisse Pontificias, suámque adeò Fidem, ætatem tulisse, nostram esse hodiernam. Vide DEVM immortalem, Lector, hoc iterum in

exemplo, Lutheranismi vanitatem, quam & Prædicantes, fucatum caluæ occasioni soleant inducere capillitium, & quàm Lutherana plebes, ad capturam facilis, cereáque sit in falsum flecti. verba Lælij hæc sunt q. 90. pag. 121.

Die sachen selbsten belangend / will ich dir so klaren / vnd recht Teutschen bericht thun / daß du es mit Augen sehen / vnd fühlen sollst / was Nürnberg / Regenspurg / vnnd Augspurg jedesmals von Anfang hero / für ein Glauben gehabt / vnnd daß sie niemals Catholisch Päptisch / sonderen allezeit Euangelischer Religion gewest / ꝛc.

Pollicitationes profectò opimę, non perfunctoria, nec sine magno mure parturitio; discamus ista ex argumento, quo hæc verba nituntur.

Sex Capita Lutheranæ Catecheseos, quæ scilicet ab Apostolis accepit, credíditque à principio statim Ecclesia, sunt doctrina antiqua, non noua pag. 122. *Norimberga, Augusta, Ratisbona, credunt, crediderúntque quamdiu Christianæ fuerunt, hæc sex Capita* pag. eadem. *Ergo Norimberga, Augusta Ratisbona credunt, crediderúntque doctrinam*

anti

antiquam, non nouam : credunt autem Lutheranam, Ergo Lutherana est antiqua, & Apostolorum doctrina ;

Si dijs placet. Habes demonstrationem, Lector, è solidâ quercu, robustam sanè, & à Dędalâ manu, faberrimam; cui tantum inest ponderis, vt ęreas quoque trabes, Romanæ Vrbis, curuare possit, adeò nihil in illâ verum reperies, ne micam quidem. Ostendo. Falsa est propositio, non vno modo. Nam I. Ecclesia ab Apostolis nullam accepit Catechesin, seu doctrinam, certis definitam capitibus. II. Hæc ipsa capita sex, aliter ab Apostolis, aliter à Lutheranis traduntur, qua parte scilicet nobiscum sunt controuersa; atque adeò Ecclesia ab Apostolis acceperit hæc sena capita quo ad verba, & quęstiones, quo ad sensum Lutheranum ac responsa, ab illis nihil accepit. III. Hæc sex capita, à Lutheranis proposita, & definita, cum doctrinę Apostolicæ, & Fidei Ecclesiæ huc vsque traductæ, contrariæ sint, noua sunt, non antiqua. Examinemus porrò Assumptionem; quanti, DEVM bonum ! piaculi monstrum ? *Norimberga, Augusta, Ratisbona credunt, crediderúntque quamdiu Christianæ fuerunt, hæc sex Capita, Catechismi Lutherani.* Itane verò tam splendidas extemporalis meus Rhetor hyperboles ? ô dedecus ! Circumspice Læli Norimbergę, contemplare Augu-

 stam,

ſtam, peruide Ratiſponam, pellege hiſtoriam; quid reperies, ante Lutherum, de tuo Catechiſmo, nobiſcum hodie controuerſum, extitiſſe? quo proditum veſtigio? omnia templa, fora publica, ædes priuatæ, ſolam, quam tu vocas, Pontificiam doctrinam, tunc in his vrbibus, toto in Imperio regnâſſe vociferantur. VII. Sacramenta credita, vſurpataque è picturâ, è marmore diſcere potes: Aſſeruatam SS. Euchariſtiam, ſeparata in templis conditoria, adoratam, circumlatam, publici faſti, feſta, ac pompæ, totâ vrbe traductæ quotannis, dies ipſe tam vbique nominatus, hiſtorica deniq; temporum lux illuſtrant. Sanctos veneratione debitâ cultos, tot teſtes habes, in his vrbibus, quot parietes, quot templa. Profectô iſta talia hæ vrbes, è veſtro nõ hauſerunt Catechiſmo. Vbi ergo tua ſex capita? etiam ſi centum ex controuerſis proferas, nec de vno demonſtrabis. Non tuliſſet in Imperio pientiſſimus Imp. Carolus V. expuliſſent, hæc ipſa Auguſtiſſimi illius Deceſſores. Age enimuero Lęli, ſi fuit Auguſta Euangelica, ſi Norimberga, Ratiſpona, nunquam non hodiernâ veſtrâ doctrinâ vtebantur, quid opus pactis Paſſauienſibus, Auguſtanis, vt tanquam ſecta Imperio tunc ignota hoſpitalem acciperet teſſeram? viden? damnant hanc tuam falſitatem publica S. Imperij inſtrumenta; ad quæ dum tu ſub finem

nem libelli tui prouocas, te ipsum falsitatis accusas. Et quid aio? nec si medius crepas, vel vnum in Imperio locum, ne dicam Augustam, Norimbergam, aut Ratisponam, ostendes, in quo, Luthero adhuc cucullato, Missa proscripta, duo duntaxat Sacramenta numerata, necessaria sub specie vtrâque credita communio, cultus Sanctorum pro Idolomania habitus, Caput Ecclesiæ, Christi in terris Vicarius, non agnitus; & audes hoc de Augustâ, Ratisponâ, ac Norimbergâ publicis scriptis, liberâ linguâ, saluoque colore affirmare? quasi verò tam simus infantes, vt vltra ætatem nostram omnia iaceant nobis incognita; scientia nostra non longiùs se protendat, quàm nasus? horam propè, mi Læli, non diem tantum, annumque scimus, qua Pontificia doctrina, Augustæ quidem & Ratisponę, Lutheri erroribus accisa, decreuit, Norimbergæ, contra pacta, penitus proscripta, cæpit exulare. Sed tu, bone vir, debebas doctrinā Lutheri, pro Apostolica, & antiqua vendere; declarare non esse Nouitiam; hoc autem Veritate non permittente, à malo quęrendum, & quod à Communibus Rhetoricæ locis non erat sperabile, à locis proprijs erat emendicandum, falsaque tua conclusio, parcat mihi genius tuus, à mendacio, & quidem bene crasso, ac notorio, loco scilicet Prædicantibus admodum fami-

familiari, ac proprio, demonſtranda. pudeat te tantæ leuitatis; & ſi æternam metuis infamiam, radere iube quantocius *Baſin* tuam, vel (quod vna litura potes) libellum illum falſigerulum, emenda. quamdiu verba, à me ſuperiùs recitata, in illo legentur, tamdiu trabes noſtræ totâ Germaniâ nutabunt.

Agite nunc denique vos quod agitis Ciues Onoldini; ſi tam craſſa veſter ducit Lælius fila, cur non videtis? ſi typo committit publico, tam ſplendidos, ac nobiles fumos, vt Fidei veſtræ *Baſin* conficiat, quid creditis? quid credetis? putatis vera? quid audiuiſtis adhuc, quid porrò audietis? putatis his veriora? ſi is qui ſemel malus, ſemper præſumitur malus Reg. 8. de Reg. Iur. l. Si cui. ff. de Accuſ. l. non omnes. ff. de re mil. Lælius profectò magna grauabitur præſumptione, in hac ſuâ *Claue*, & *Baſi*, non ſemel malus; reperietis enim non vnum *&c.* numerarem pecus, niſi pauperis hic labor eſſet, & me copia feciſſet diuitem; iſtud loco coronidis adijcere prioribus tandem volui, vt ſi ex ſuperioribus non ſatis innotuit, ex hoc vngue leonem cognoſcatis, fugiatis. Non facio calumniam, rem apertam dixi; niſi verum dixi, dicite

breuibus Gyaris, aut carcere dignum:

Neque enim lege Papiâ me tutum preſtabo, ſed ex l. 11. C. de Exhib. reis. l. vlt. C. de Calumn. talio-